





THE J. PAUL GETTY MUSEUM LIBRARY








PICTURAE ETRUSCORUM


Marco Carloni inv. e scul.



PICTURAE ETRUSCORUM IN VASCULIS

NUNC PRIMUM IN UNUM COLLECTAE

EXPLICATIONIBUS, ET DISSERTATIONIBUS INLUSTRATAE

A

JOH. BAPTISTA PASSERIO NOB. PISAUR.

Regiarum Academiarum Londinensis, Olomucensis, & Italicarum Fursuratorum, Bononiensis, Cortonensis, Panormitanae, Ferrariensis, ac Perusinae

SOCIO

VOL. SECUNDUM

TABULAS C. CONTINENS

AERE INSCULPTAS.



ROMAE MDCCLXX.

EX TYPOGRAPHIO JOHANNIS ZEMPEL.

Sumptibus Venantii Monaldini Bibliopolae.

PRAESIDUM FACULTATE.



CAROLO
COMITI DE FIRMIAN
AVREI VELLERIS EQVITI
IMP. CAES. IOSEPHI II. P. F. AVG
CONSILIARIO INTIMO
MARIAE THERESIAE ROM. IMPERAT
REGINAE HVNGAR. BOHEMIAE
&c. &c. &c.
A PENITIORIBVS CONSILIIS
ET IN AVSTRIACA INSVBRIA
AMPLISSIMA CVM POTESTATE ADMINISTRO
MANTVAE PROPRAEFECTO
VIRO
NON MODO GENERIS GLORIA
ET DIGNITATVM SPLENDORE
SED INTEGRITATE FIDE IVSTITIA MODERATIONE
CETERARVMQVE VIRTVTVM LAVDE
COMMENDATISSIMO
OB EGREGIA EIVS IN OPTIMAS ARTES
ET REM LITTERARIAM VNIVERSAM MERITA
VOLVMEN ALTERVM
PICTVRARVM ETRVSCORVM IN VASCVLIS
A IOH. BAPT. PASSERIO CONLECTVM
ET DOCTISSIMIS COMMENTARIIS INLVSTRATVM
IOSEPH ANTONIVS MONALDINIVS
PATRONO BENEFICENTISSIMO
PERPETVVM OBSEQVII SVI MONVMENTVM
A. L. M. D. D. D





ADPROBATIONES.

PIcturarum Etrufcorum in Vafculis explicationes profequitur celeberrimus Pafferius communi eruditorum hominum exfpectationi donandas. Nihil enim adverfus pietatem, ac bonos mores molitur; nam veterum fuperftitionum ritibus expofitis, Religionis Chriftianae veritas, ac majeftas, veluti lux in tenebris magis, magifque elucebit. Ex Aedibus meis Nonis Martiis A. MDCCLXX.

Jo. Baptifta Vicecomes Roman. Antiq. Praefectus.

ADeo nunc obfoleverunt inanes Ethnicorum ritus, & fabulae, ut qui haec ipfa ab oblivione, ac tenebris vindicet, atque eruditorum ingeniis, fideique commendet, nihil omnino five damni, five offendiculi Chriftianae Religioni afferre poffe, nemo dubitet. Tantum ergo abeft, ut Clariffimum Virum Johannem Baptiftam Pafferium quifquam ob haec ipfa temeratae Religionis infimulet, quod nempe in altero hoc *Etrufcarum Picturarum in Vafculis* Volumine antiquam fere omnem Etrufcorum Θρησκείαν tum fchematibus ex veteribus archetypis affabre incifis, tum teftimoniis ex antiquis Scriptoribus derivatis illuftraverit, ac veluti redivivam in medium adduxerit, ut potius ipfe fummopere commendandus veniat, qui non folum Antiquariam facultatem novis inftruxerit praefidiis, novifque ditaverit inventis, verum etiam inter ampliffimam praeclarae eruditionis fegetem, qua fpectandas mentis fuae divinationes in tanta rerum incertitudine adeo fulcit, & ornat, ut eas certas, nedum verifimiles faciat, ac quaslibet etiam mutas figuras veluti loquentes inducat, veterum fimul Chriftianae Religionis Apologiftarum teftimonia, quibus Idolorum ridetur omne genus, opportune in rem fuam utplurimum provocet, ipfaque Etrufcorum μυστήρια ex deturpatis, contortifque Divinae Revelationis placitis, praefertim in Differtatione, quae eft *de Arcana Etrufcorum Philofophia*, procufa contendat. Quare etfi ego non is fim, qui rem prelo dignam calculo meo digniorem faciam, tamen fi quid ego fum ex opinione R̃mi Patris Thomae Auguftini Ricchinii Sacri Palatii Apoftolici Magiftri, qui Volumen hoc pro fua auctoritate cenfurae meae fubjiciendum voluit, idem digniffimum publica eruditorum luce ipfe etiam exiftimo. Dabam ex Aedibus meis a. d. XII. Kal. Martias Anno Gratiae MDCCLXX.

Johannes Chriftophorus Amadutius Publicus Linguae Graecae Profeffor in Archigymnafio Romanae Sapientiae, & Praefes Typographiae Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

D. Jordanus Patriarch. Antioch. Viceſgerens.



IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

JOH. BAPTISTAE PASSERII

PISAURENSIS

TRACTATUS

PRAELIMINARES

IN PICTURAS ETRUSCORUM

IN VASCULIS

I. De Arcana Etruſcorum Philoſophia Diſſertatio.

II. De Muſica Etruſcorum Diſſertatio.

JOH. BAPTISTAE PASSERII
PISAURENSIS
DE ARCANA ETRUSCORUM PHILOSOPHIA
DISSERTATIO.

SYNOPSIS CAPITUM.



JOH.



PANORMI IN MUS. NOB. VIRI IGNATII PATERNÓ BISCHERIÆ PRINCIPIS.

JOH. BAPTISTAE PASSERII
PISAURENSIS
DE ARCANA ETRUSCORUM PHILOSOPHIA
AD EMINENTISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM DOMINUM
D. JOH. FRANCISCUM STUPPANIUM
S. R. E. CARD., ET EPISCOPUM PRAENESTINUM
DISSERTATIO.



Uum multi hac ætate fuerint præſtantes Viri, qui in veterum Etruſcorum Philoſophiam indagandam operam contulerunt, Jacobus Brukerus mihi, dum vixit, benevolentia conjunctiſſimus, Johannes Maria Lampridius, & Agathopiſtus Chromatianus Vir Religioſiſſimus, & omnigena erudititione refertus, teſſeram me quoque meam in idem negotium conferre jubes, STUPPANI CARDINALIS AMPLISSIME, quam dudum, Te monente, præparaveram in felici illo Tuo contubernio, ſeu potius perenni Academia. Cum enim inter pericula hujus ſaeculi fluctuantis in tanta opinionum contentione verſentur ingenia, omnibus id, quod mirabilius ſit, adfectantibus, felici paucorum exitu, multorum vero luctuoſo (nam quod ſanctius eſt, ipſa religio tentatur) provide monebas, eo omnium ſtudia

ſtudia dirigi oportere, ex quo Pietas, ad quam fovendam nati ſumus, fulciatur. Eſt enim quædam adfinitas inter humana, divinaque ſtudia, qua ſe invicem complectuntur, atque ad eumdem finem ordinantur. Cum vero inter cetera, quæ Tuo ſub auſpicio ſtudia colebantur, Etruſca Antiquitas tunc renaſcens potiſſime tractaretur, dicere ſolebas, id præcipue curandum, ut ex tantis, tamque illuſtribus monumentis, quibus ſeſe in lucem ſaeculi expoſuit, ea potiſſimum excolerentur, quae Majorum exemplo ad bonos mores promovendos contuliſſent. Quid ni, cum Mediolanenſes Tui Etruſcæ originis glorientur, quam ex Etruria primitiva diffuſam Inſubria omnis, & regio Padana in ſinu complexa eſt, atque amplificavit? Nec inaniter auſpicabaris, multa exinde erui poſſe ex veſtigiis hujuſce Nationis, quam omnium tunc temporis cultiſſimam eſſe non dubitabas, e quibus revelatae Religionis a primis uſque Parentibus tranſmiſſae, atque ſecum in Italiam traductae argumentum aliquod proſiliret, quod incredulis hujus temporis objici potuiſſet, ut detrectantibus ſacra, etiam profana obtruderemus. Quid enim deterius hac ætate privato homine, qui, nullo auctore, religionem, ſi quam habet, ſibi componat legislator, & judex?

Hæc mecum animo volvens, diuque in hiſce monumentis enarrandis verſatus univerſa ſeligenda cenſui, quæ ad evidentiam demonſtrarent, fuiſſe inter Etruſcos præter ludicra illa haruſpicinæ ſtudia, quae vel ex ipſis ſapientiores deriderent, ſcholam aliquam ſecluſam nec multitudini perviam, in qua, dum multitudo declinaret in fabulas, Arcana quædam doctrina a primis uſque Parentibus propagata cuſtodiretur, & litteris mandaretur, quæ deinde apud Romanos perveniret, nec in pretio eſſet, niſi cum, ſubodoratis Moyſis libris, ac coruſcante ex eis veritate, Deorum Religio conclamaretur. Quam enim fidem praebuiſſent in nobiliſſima hac Natione cordati viri, ac ſapientiores novis in diem erumpentibus caeremoniis, ac Diis barbaris, quam, quaeſo, Orpheo, ac Lino, ac ſimilibus circulatoribus, quorum doctrinam nihil commendabat, niſi obſcuritas, & arcana quædam loquendi ratio, quam neque intelligerent, qui illam proferrent? Quis non derideret primogenitum illud Chaos Heſiodi, unde Dii nati ſunt, ut aliquando foecundum eſſet, quod nihil erat, nullaque mens eſſet, quae tantam rerum molem

molem ordinaret? Nec Chao Deorum creatore meliores erant homines, qui mortuos consecrarent, eosque probrosissimos, a quorum cultu se penitus abdicavit Arcana Etruscorum Schola, quæ Jovem vulgi omnino repudiavit, alterum sibi Numen, quod a Majoribus exceperat, venerandum sibi constituens, quod & monumentis, & veterum testimoniis per singulas Religionis partes excurrens in medium proferre non dubitabo, ut in tanta erroris colluvie, quæ ipsam quoque Etruriam invaserat, aliquos semper veritatis tenacissimos, quamquam paucos, & fere taciturnos, fuisse cognoscamus. An id ex voto successerit, rectius judicabis, CARDINALIS SAPIENTISSIME; mihi profecto blandior, etsi inaniter, in re tamen gravi, operam quamcumque meam impendisse.

CAP. II.

Philosophia apud Etruscos maxime culta.

PHilosophiam apud Etruscos præter ceteros tunc populos maxime floruisse, multa nobis persuadent; origo in primis, cum ex Oriente Nationem hanc recta via ad nos pervenisse, melioribus argumentis teneamus. Scio quidem esse, qui credant, populum hunc ex interiore Germania erupisse primum, ac tenuisse Padanam Regionem, ubi hæc scribo. Ast quanam via? Num Populus ille per Asiæ deserta ex Armenia Scythiam totam peragravit, ut Italiam occuparet? Repugnant quidem huic opinioni qua Græcorum, qua Latinorum testimonia, qui Etruriam sub Appenninis in duodecim urbes divisam, serius tamen, exuberante numero, in Padanam Regionem descendisse tradiderunt, totidem ibi constitutis coloniis, quot capita erant urbium, quarum Princeps Bononia esset, quam Felsinam dixerunt a nomine Vulsiniensium, qui primas in veteri Etruria obtinebant. Maxima Græcæ Linguæ antiquioris vestigia, quæ in Etrusca observantur, nil Celticum præseferunt, & hujus populi exquisitissima disciplina a primis usque temporibus propagata, nihil Scythicum redolet, præsertim vero Philosophia, cujus vestigia ordinamus. Sub inlustri hoc nomine nihil intelligimus, nisi quamdam loquelam animæ rationalis, ad felicitatem invitantis, nemini subtractam, ut nulla umquam fuerit tam barbara natio, quæ ex eo fonte aliquam sibi regulam non instituerit ad sui custodiam, & societatis. Si mores,

res, ſi leges, ſi fœdera, aut hominum in unum convenientium conſortia inſpiciamus, omnia complectitur Philoſophia, quam, veluti humanitatis normam, adpellamus Sapientiam. Hæc famula Religionis unica ubique eſſe debuiſſet, quemadmodum unica omnibus populis lex a Deo eſt conſtituta, eaque tam æqua, tam placida, ut nullum aeris, & climatis diſcrimen exſecutioni, & obedientiæ repugnaret. Hominum tamen depravata indoles utramque eouſque perturbavit, ut fingeret laborem in præcepto. Hinc deridemus in Philoſophia nova ſemper monſtra pro climatis varietate; deploramus vero in Religione, multis contra facentibus, & docentibus, quos penitus exſecramur.

Ad corrumpendam igitur Philoſophiam potiſſimum contulit diverſitas Caeli laxioris, ſive rigidioris pro diverſitate organorum, quorum ſtructuram varietas aeris turbat, ut alibi honeſtum, alibi utile pro fine praeſcribatur; itaque pro ſui, & ſocietatis cuſtodia alicubi ratio, & æquitas conſtituitur, alibi rurſus ferocia, & immanitas, quemadmodum Gothorum legibus inductum erat, ut controverſiæ ferro deciderentur, tamquam interprete Divini judicii, cui foret adquieſcendum. Hæc, & ſimilia ſuggerebat Septentrionalibus Populis inclementia climatis; at contra enerve, & fluxum apud Meridionales, quidquid erat Philoſophiae, ſedentaria contemplatione arcanis involvebatur, unde aenigmata, & parabolae proceſſerunt, tormenta ingeniorum, quæ majeſtatem ex ſola obſcuritate adſtruebant. Inter omnes vero populos ſemper excelluit temperati climatis diſciplina; nam docilioribus organis animi motus temperabantur, ac mitiora inſtituta induci ſolebant, & volucris ingenii audacia aequiori meditatione temperari. Græciam totam in medium adfero ſapientum feraciſſimam, & laudabilem, niſi perennes apud ipſos aemulationes non ſcientiam magis, quam diſcordiam produxiſſent, vitio praecipue poeticae libertatis, qua nihil aptius ad errores obtrudendos in mentibus, quæ novitatem ſectantur.

Omnium tamen feliciſſima ſedes ad Philoſophiam excolendam fuit Etruria noſtra, quam nec truces Scythae, nec elanguidi Orientales, nec Poetae nebulones præceptis perturbabant ſub benigno Caelo, natura donis ſuis obſequente, ac diuturniſſimo ſimul, atque aequiſſimo Imperio fulgentem, ubi ſecuris privatorum dominiis cives quieti alebantur, acres ingenio, maxi-

maxime induſtres, ſimulque urbani, & quod caput eſt, procliviſſimi ad pietatem, quæ omnia ad moderate philoſophandum incitabant, atque excolendum tria potiſſima hominum officia in Deum, uti principium, & finem actionum, in Societatem ad publicum bonum, & demum erga Individuum ad recte, honeſteque vivendum.

Id vero nomen Philoſophiae, ſi indiſcretum ſumatur, multis, ac maximis contradictionibus obnoxium erit. Oportet enim Popularem Philoſophiam ſejungere ab Arcana, de qua tantum pro noſtro inſtituto erit differendum; multa enim de priore jactantur, quae principiis alterius ſeverioris, ac penitus ſobriae de directo repugnant. Qui enim ſapientiores legem naturae ſanctius colerent, & ſincerioribus traditionibus a primis uſque temporibus transfuſis inhaererent, ſimulque ſelectiſſimis ex populo communicarent, cujuſmodi ſemper in omni natione exſtiterunt, fabulas, divinationes, oracula, & auguria inridebant, quemadmodum de Catone notat Cicero de Divinat. Lib. II. Cap. XXIV: *Vetus autem illud Catonis admodum ſcitum eſt; qui mirari ſe ajebat, quod non rideret haruſpex, haruſpicem cum vidiſſet*; & de Cicerone ipſo Divus Auguſtinus de Civit. Dei Lib. IV. cap. 30: *Cicero Augur irridet auguria, & reprehendit homines corvi, & corniculæ vocibus, vitae conſilia moderantes.* At multo his plures recenſet Clemens Alexandr. Stromat. Lib. V., quos in ipſa denſiore erroris caligine ſuperna lux inluſtraverat, ut vanitatem Polytheiſmi penitus, palamve reprobaverint adſerendo, Deum niſi unum eſſe non poſſe. Periculoſum id, multiſque ſapientibus fatale fuit, ut qui pari dono dignati eſſent, illud intra conſcientiæ limites retinerent, & vix inter intimos conferrent, ut de Varrone idem Auguſtinus de Civ. Dei Lib. IV. cap. 31: *De Religionibus loquens multa dixit eſſe vera, quæ non modo vulgo ſcire non ſit utile, ſed etiam, tametſi falſa ſint, aliter extimare populum expediat... Dicit etiam idem Auctor acutiſſimus, atque doctiſſimus, quod hi ſoli ei videantur animadvertiſſe, quid eſſet Deus, qui crediderunt, eum eſſe animam motu, ac ratione Mundum gubernantem, ... cujus ſententiae ſuae teſtem adhibet inter cetera etiam Gentem Judaeam.* Ecce nunc apud omnes fere populos introducta ſecreta illa, atque Arcana Philoſophia, quam ſapientiores ſilentio premebant, ne ſibi, & quieti publicae novitate offeciſſent.

Pictores vero, & Sculptores, qui alterutram ſententiam tenerent, ſeu etiam alienæ deſervirent, maxima libertate univerſis obſequebantur, nullo contradictore, ubi nullus adſertor inſurgeret, cum ſingulae diſciplinae praeſertim abſtruſiores propria taciturnitate, & ceterorum ignoratione tuerentur. Nec de Sculpturis, aut Picturis admodum ſolliciti fuerunt Etruſci; nam in exprimendis Bacchanaliorum ſecretis, ceteroquin ineffabilibus, fuerunt maxime liberales, adeout conlatis ſimul, & ordinatis Picturis ad ea pertinentibus (quod Tomo ſequente præſtare conſtituimus) arcanum omne proditum videatur, cum potiſſime haec opera fere omnia non publicae luci, ſed tenebris ſepulcrorum adjudicarentur.

CAP. III.

Arcana Thuſcorum Philoſophia Deum unicum admittebat.

Antiquiſſima omnium Occidentalium Nationum Etruſca ſive ex benignitate ingenii, ſeu potius ex traditione a Majoribus accepta, & fidelius conſervata unum omnino Deum univerſorum conditorem, rectorem ſuper omnia perfectiſſimum, atque juſtiſſimum eſſe credebat, aeternum, atque immortalem; nec fieri potuiſſe, ut alios aequales ſibi condidiſſet, ipſoſque foecundos, quibuſcum poteſtas divideretur, aut contenderetur. Hanc vero tam ſublimem cognitionem non Graecis, ſed ſibimetipſis debuerunt Etruſci; nam Graecia tota expilata, nihil antiquius, aut ſolemnius acceptum eſt, quam Heſiodi doctrina in ejus Theogonia V. 116.:

Ἤτοι μὲν πρώτιςα Χάος γένετ' αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύςερνος . . . .
. . . .
Ἠδ' Ἔρος, ὃς κάλλιςος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι.
. . . .
Ἐκ Χάεος δ' Ἔρεβός τε, μελαινάτε Νὺξ ἐγένοντο·
. . . .
Γαῖα δέτοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν αςερόενθ', ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτοι.

Primum quidem omnium Chaos fuit, & deinde
Tellus lato pectore praedita . . . .
. . . .
Atque Amor, qui pulcherrimus inter immortales Deos;
. . . .
Ex Chao vero Erebuſque, nigraque Nox editi ſunt.
. . . .

Ter-

Terra vero primum genuit parem ſibi
Caelum, ſtellis ornatum, ut ipſam totam obtegat.

Quis vero adquieſceret doctrinae tam turbidae, ac repugnanti? Si Chaos erat Deus, ſeſe diſtraxit in partes, & in alia corpora degeneravit, unico tantum nomine, ſed inani, praeſervato. Si non Deus, iners perpetuo in aeternum permanſiſſet, ut recte arguit Hebraeorum ſuperioris aetatis eruditiſſimus Iſaac Cardoſus in poſtremo ſuo de Philoſophia libera tractatu, ubi totus eſt in Unitate Dei vindicanda, non ſine tamen Judaica perfidia, ut videatur excludere, quod Unitati erat adjungendum. Quid igitur Chaos nec Deus, nec Materia? Ergo nil aliud, niſi maſſa informis a Deo creata, & nutu mentis adorandae in machinam perfectiſſimam ordinata? Deum hunc inquirentibus obcurrit Orpheus producens ΠΡΩΤΟΓΟΝΟΝ ex ſemetipſo exſiſtentem, hoc eſt aeternum, tantae machinationis capacem, quamquam illum tanta caligine involvat, ſive ex induſtria, aut ex ignoratione, ut quod reliquum eſt, nuſquam ex ejus deſcriptione eruatur. Ulterius itaque progrediendum erat Sapientibus noſtris, ut meliora perciperent: perquirenda nempe patrum ſuorum traditio, in qua Deum unicum ex ſeipſo exſiſtentem ab aeterno, ſed ſine nomine invenerunt.

Intonuit tandem toti fere Europae circa annum Mundi MMCCCCL., Deum hunc vere primigenium ſeſe manifeſtaſſe in Aegypto, Nomenque ſuum portentis terribilibus confirmaſſe. Erat tunc ea regio, ſicuti omnium potentiſſima, ita & arbitra Religionum, veluti quae Deos exſules olim ſervaſſet in gremio, eorumque nomina prodidiſſet. Herodotus Lib. II: Δυώδεκάτε θεῶν ἐπωνυμίας ἔλεγον πρώτους Αἰγυπτίους νομίσαι, καὶ Ἕλληνας παρὰ σφέων ἀναλαβεῖν. βωμούς τε καὶ ἀγάλματα καὶ νηοὺς θεοῖσι ἀπονεῖμαι σφέας πρώτους. *Aegyptios quoque primos duodecim Deorum cognomina in uſu habuiſſe, & ab illis Graecos fuiſſe mutuatos; item primos Diis & aras, & ſimulacra, & delubra ſtatuiſſe*. Illuc ergo feſtinarunt Populi, ut Nomen potentiſſimi hujus Dei, qui ſolus, aeternuſque eſſet, intelligerent, quod non Hebraeis tantum manifeſtatum fuerat, ſed Aegyptiis, ut Exodi cap. III. 14., & V. 5: *Poſt haec ingreſſi ſunt Moyſes, & Aaron, & dixerunt Pharaoni: haec dicit Jehovah Deus Iſrael*. Quod nomen deducitur ab היה *hajah* nempe *eſſe*, ac ſi antonomaſtice dicatur *exſiſtens*, aut *omni-*

omnibus tribuens essentiam. Id vero nomen tanto adparatu prodigiorum ubique vulgatum apud gentes, turpiter Filio Saturni adtributum fuisse, censet Concivis meus Augustinus Steuchius *de Peren. Philosophia* Lib. III. cap. 18: *Quod cum esset (Jehovah) nomen summi, & singularis Dei, adtributum est postea homini nefario filio Saturni, & vocavit Deum, nomine scilicet divinissimo, quo passim apud Antiquos vocabatur Deus, sicut Dios, & Ζεὺς apud Graecos, etiam hac ratione docemur unum singularem Deum ipsos confiteri* : & rursus : *Vult igitur Plato, Jovem dictum esse Zena a Graeco Zen vivere, quemadmodum scimus ab essendo vocatum Hebraice Jehovah, qui forte est JOVES. Agnoscunt igitur eumdem esse Jovem, atque Deum. Qui dictus est AB ETRUSCIS, quorum sermo, atque litterae fuerunt Hebraicae, nomine Hebraico JOVES.* Heic notandum, Steuchium nostrum nomen id desumpsisse ex Tabulis Eugubinis latino charactere scriptis; nam in ceteris, quae Etruscis notis exaratae sunt, semper legitur *Juve*, & *Juvies*. Idem Auctor lib. VI. cap. 13. ita sententiam hanc firmat: *Sequiturque, Jovem apud antiquissimos Graecos, Latinosque fuisse nomen sempiterni Dei*; & idem Augustinus lib. XIX. cap. 22. verum, & unicum Deum describens : *Ipse est Deus, quem Varro doctissimus Romanorum Jovem putat, ... hunc enim eum esse credidit, quem summum putavit Deum*. Id dudum innueram in libello de Hebraismo Aegyptiorum, & in meis in Dempsterium de Etrur. Reg. Paralipomenis, signanter vero in Epistolis Roncaliensibus, quibus nuper adcessit auctoritas Cl. Comitis Carlii in Hesiodum pag. 87: *La qual voce di Jovia mi ricorda il Jehovah degli Ebrei*.

Anno igitur indicato ante Christum natum MDLXVIII., & propterea diu ante Romam conditam evulgato Dei nomine ineffabili Judaeis, Aegyptiis, Afris, Palaestinis, ac Graecis, qui assidue in Aegyptum navigabant, & quos latere non poterant flagella, caedes, & naufragium illius populi, diffugiumque Hebraeorum cum caussis tantae calamitatis, mirum quidem, nullos sive odio, sive terrore nomen illud in Patriam adtulisse, nisi solos Etruscos, qui regionem illam navigationibus frequentabant, illudque mordicus retinuisse, ac diu post cum finitimis Latinis communicasse. Id audacter adserimus, ex quo antiquior hujus nominis mentio in Tabulis nostris Eugubinis inscriptum videatur *Juve*, *Juvi*, *Juvie*, *Jovies*, *Jovie*, *Jovi*, *Juvia*, *Juvepatre &c*; nec

nec enim aliud antiquius monumentum habemus, in quo Jovis nomen ſcriptum inveniatur; quod nomen, ut ſupra diximus, derivatum a יהוה *Jehovah*, Etruſci a Graecis excipere non potuerunt, quibus omnino fuit ignotum. Accepta ergo ab Etruſcis vera hujus nominis ſignificatione, illam fere aequivalentibus epithetis cumularunt, quae ex iiſdem Tabulis Eugubinis eruuntur, quae in noſtris Paralipomenis in Dempſterii Etruriam Regalem diffuſe expoſuimus. Huc ſpectat VNTEBE ab Εἰμὶ *ſum*, unde Ὤν, ὄντος *exſiſtens*, ſynonimon nominis ineffabilis, de quo Divus Dionyſius Areopagita, vel quilibet alius Auctor Libri *de divinis nominibus*, & Steuchius meus Lib. I. cap. 28., & Lib. III. cap. 7., quod etiam praemiſimus in Supplementis ad Theſaurum Diptycorum ad Tab. III., & in Tractatu de Diis Iguvinorum inter praefata noſtra Paralipomena ex pag. 240. Dicitur AKERUNIE, & AKERUNIAMEM a voce *Cerus*, nempe Creator. Huc pertinet & ACERSONIUS. Tum SERFE idem eſt, ac Servator. FOSSEI a φῶς lumen, quaſi auctor lucis. GRABOVEI, hoc eſt potentiſſimus. NERF Deus fortis. OSE Sanctus. PRESTOTA, videlicet beneficus. RESTATU expiator, & miſericors. SANSIE Sanctus. SITIR, & ANSIHITIR Soter, Servator, & Superſervator, ſeu dupliciter Servator. TUSE, quaſi Tyſius a θύω, ac ſi dicas excellenter ſacer. TURSITU, veluti Turius bellator, ac Deus exercituum. His adjicias epitheta terribilia Ultoris malorum, Feritoris, & Vindicis, quae ubique obcurrunt in iiſdem Tabulis, & optime congruunt cum notione perfectiſſima Dei, quo emphatici Ethnicorum Poetae numquam adceſſerunt. Imo vides heic adumbrata ab Etruſcis decem Dei Nomina, Dei fortis, Dei exercituum, Excelſi, Dominatoris, Ex ſe exſiſtentis, Omnipotentis, Sancti, Miſericordis, ſeu Expiatoris, & Creatoris.

Ne vero videamur plus aequo Etruſcis noſtris tribuiſſe, unius aeterni, ac omnipotentis Dei cognitionem illis adſerentes, Patrum univerſorum, qui pro Chriſtiana Religione certarunt, teſtimonia adducerem, quibus clare evincitur, apud omnes fere populos ſapientiores exſtitiſſe, qui non obſcure veritatem hanc faterentur; ſed unus adſertioni noſtrae prae cunctis opituletur Divus Paullus in Epiſt. I. ad Romanos cap. 1. 20. loquens de his, qui inter denſiſſimas Idololatriae tenebras verſabantur: *Deus enim illis manifeſtavit; inviſibilia enim ipſius a crea-*

a creatura Mundi per ea, quae facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles, quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis. Utinam non otioſa fuiſſet apud Etruſcos haec ingens cognitio, ſed quid in privato ipſi fuerint, penitus ignoramus.

CAP. IV.

Vera Dei Cognitio Arcana ab Etruſcis diffuſa in Romanos, etiam antiquitus.

CUm inter univerſas Nationes in tenebris involutas verum Dei Nomen יהוה Jehovah ad ſolos Etruſços pervenerit, ejuſque genuina notio inter ſelectos ſapientes cuſtodiretur, minime mirandum eſt, ad finitimos Romanos perveniſſe, ex quibus paullo ante praeſignavimus Varronem, & Ciceronem, quos numquam crediderim fuiſſe ſolos, aut primos, ſilentio hiſtoriae in re tam ardua ſubpreſſis ceteris. Hanc doctrinam expreſſe Etruſcis adtribuit citatus Steuchius *de Perenni Philoſoph.* Lib. III. cap. 13: *Vult igitur Plato Jovem dictum Zena a Greco Zen, vivere, quemadmodum ſcimus ab eſſendo vocatum hebraice Jehovah, qui forte eſt Joves. Agnoſcunt igitur eumdem eſſe Jovem, atque Deum, qui dictus eſt ab Etruſcis nomine hebraico Joves*. De hoc ultimo videndus idem Steuchius lib. VI. cap. 2., ubi totus eſt in Cicerone a polytheiſmi nota vindicando, & Londinenſis noſtrae ſocietatis decus Midlethonius in illius vita. Quid ni? teſtimonia illius ſunt apertiſſima: *Deus ſignificatur beatus, & aeternus*, ut de Nat. Deor. I. 47. *Quanto id Deo eſt facilius, cujus Numini parent omnia*, de Divinat. 202. *Deo paret Mundus, & huic obediunt maria, terraeque, & hominum vita juſſu ſupremae legis obtemperat*, de Leg. III. 2. *Sed nos Deum niſi ſempiternum intelligere qui poſſumus?* de Nat. Deor. I. 19. Ecce jam ſublata contentio de elementorum imperio, & fabulae inanium generationum, quae vel ipſis aliquando damnoſae exſtiterunt. Subriſit ſecluſa haec Schola Deos vulneratos grandi voce detonaſſe apud Homerum, niſi Graecorum ſapientiſſimus haec ſcripſiſſet, ut Nationis ſuae deliria exprobraret. A diſciplina igitur Thuſca, ad quam ſaepiſſime recurrit Cicero, haec intelligentia emanavit, non vero a Graeca, quam ita expendit in Libris de Nat. Deor., ut veluti diſputans illam explodat, ut Dei unius ideam

ideam, quam expreſſe inſinuare verebatur, quiſque ſibi mente pura deduceret.

Deorum pluralitatem omnino excludit Plinius lib. II. cap. 7.: *Innumeros quidem credere* (Deos) *majorem ad ſocordiam adcedit. Fragilis, & laborioſa mortalitas in partes digeſſit*. Cornelii Taciti religionem ita prodit citatus Cardoſus lib. VII. cap. 1. ex Hiſtoriarum lib. V.: *Judaei mente ſola, unumque Numen intelligunt ſummum illud, & aeternum, neque mutabile, neque interiturum*. Inde deducit, non alium animo, veluti perfectiſſimum concepiſſe Virgilium in Urbe Thuſca natum, ac proinde patriae ſcientiae non ignarum, quemadmodum in omni peregrina doctiſſimum ita ſentiiſſe, ſeu ſaltem cognoviſſe deducit ex pluribus locis idem Cardoſus Lib. VII. cap. 6., & ſaepe laudatus Steuchius lib. VI. cap. 2. Locum vero Virgilii Aeneid. VI. 724. ita inluſtrat Servius: *Ergo Deus eſt quidam Spiritus divinus, qui per quatuor infuſus elementa gignit univerſa*, de quo etiam videndus Ovidius Metam. I. verſ. 21., ubi Deum omnibus praeexſiſtentem ſupponit:

Hanc Deus, & melior litem natura diremit.

His adcedit Plutarchus, qui Romae inſtructus, & doctiſſimorum hominum conſuetudine expolitus animum ſuum ita aperit in libello de EI inſcripto foribus templi Delphici: Οὐ γὰρ πολλὰ τὸ θεῖόν ἐστιν, ὡς ἡμῶν ἕκαστος ἐκ μυρίων διαφορῶν ἐν πάθεσι γινομένων, ἄθροισμα παντοδαπὸν καὶ πανηγυρικῶς μεμιγμένον. ἀλλ᾽ ἓν εἶναι δεῖ τὸ ὄν, ὥσπερ ἂν τὸ ἕν. ἡ δ᾽ ἑτερότης, διαφορὰ τοῦ ὄντος, εἰς γένεσιν ἐξίσταται τοῦ μὴ ὄντος. *Non enim multa ſunt Numina, ſed Unum, non ut unuſquiſque noſtrum congeries ex infinitis, diverſiſſimiſque adfectionibus varie commixta quomodo ex omnis generis hominibus ſolemnes conventus conflantur; Sed unum oportet eſſe ID, QUOD EST: & eſſe id, quod unum dicitur; nam diverſitas cum differentia entis ponitur, jam ad procreandum id, quod non ſit, vergit*. Argumentum vero ſumere videtur a nomine, quo Etruſci Deum adpellabant formatum ab *exſiſtentia*, quod multis paullo ante declarat. Ceterum cum Plutarchus in Graeciam reverſus Sacerdotium Apollinis capeſſere non dubitaverit, nihil aliud praeſumpſiſſe puto, quam civilem magiſtraturam. Quae vero ſummi iſti viri, veluti muſitantes, & quaſi diſſimulantes expreſſerunt, ne multitudinem adverſus ſe concitarent, Seneca libertate Palatina multis in locis apertiſſime declaravit, nonniſi unum, perfectiſſimumque, licet invi-

invisum plebi, Deum esse non posse, quod a Thuscorum libris haurire poterat, unde universa religio excepta erat, ut testatur Valerius Max. lib. I. cap. 1.: *Tantum autem studium antiquis non solum observandae, vel etiam amplificandae Religionis fuit, ut florentissima tum, & opulentissima Civitate decem Principum Filii Senatus Consulto singulis Etruriae Populis percipiendae sacrorum disciplinae gratia traderentur*, & paucis interjectis: *Majores nostri statas, solemnes caeremonias, Pontificum scientia, Augurum observatione, Etrusca disciplica explicari voluerunt*. Hanc vero, quam exteris palam tradebant scientiam, non arcanam fuisse puto, sed communem, & popularem. Senecam vero auctoritate, qua fungebatur, secretiores libros expilasse, ostendit Natur. Quaest. lib. II. cap. 45. aperte declarans, se Jovi Capitolino minimum fidere, sed alium longe diversum vereri, quem ab Etruscis acceperat. Hanc ego Philosophi doctrinam dudum conlegeram a Steuchio meo lib. VI. de Peren. Philosoph. cap. 2., 3., & 4., ubi totus est in Senecae sententia explicanda, praecipue vero cap. 5., ubi ita fatur: *In quaestionibus igitur lib.* II. *eumdem Etrusci, quem nos, Jovem intelligunt Custodem, Rectoremque universi, animum, ac spiritum Mundi, hujus operis dominum, & artificem, cui nomen ESSE convenit. Vis illum Fatum vocare? non errabis.... Vis illum Providentiam dicere? recte dicis.... Vis illum Naturam vocare? non peccabis.... Vis illum vocare Mundum? non falleris*. Sed integrum Senecae locum producendum est, quo Jupiter Capitolinus auctoritate Thuscorum, & ipsius Senecae e rupe Tarpeja dejicitur: *Illos vero altissimos viros error iste non tenuit, ut existimarent, Jovem modo levioribus fulminibus, & lusoriis uti, sed voluerunt admonere eos, quibus adversus peccata hominum fulminandum est, non eadem modo omnia esse punienda; quaedam frangi debere, quaedam elidi, & distringi, quaedam admoneri..... Nec hoc quidem crediderunt, Jovem, qualem in Capitolio, & in ceteris aedibus colimus, mittere manu fulmina, sed eumdem, quem nos, JOVEM intelligunt custodem, rectoremque universi, animum, ac spiritum, mundani hujus operis dominum, & artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum Fatum vocare? non errabis, Hic est, ex quo suspensa sunt omnia, caussa caussarum. Vis illum Providentiam dicere? recte dices. Est enim, cujus consilio huic Mundo providetur, ut inconfusus eat, & actus suos explicet.*

plicet. Vis illum Naturam vocare? non peccabis. Est enim, ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis illum vocare Mundum? non falleris. Ipse enim est totum, quod vides, totum suis partibus inditus, & se sustinens vi sua. Idem ETRUSCIS *quoque visum est, & ideo fulmina a Jove mitti dixerunt, quia sine illo nihil geritur*. Quo testimonio nil praeclarius exspectari poterat ab ipsa Neronis Aula ad sententiam nostram confirmandam, nempe Arcanam Etruscorum Philosophiam de Unitate Dei ad Romanos aliquando fuisse transfusam, quod totum sperandum erat in maxima erroris colluvie, Paullo nondum cetera revelante.

CAP. V.

Sapientiores Etrusci praeter Religionem Naturalem necessario agnoverunt, & admiserunt etiam Religionem revelatam.

De moribus Populorum, qui jam longa aetate esse desierunt, non facile judicamus, cum illorum mentem, atque propositum vix, aut vix adsequi valeamus; quapropter de illorum institutis bene, aut male pro nostri ingenii ductu judicamus. Unicum nobis subsidium quaerendum superest a notitia originis illarum Gentium, in qua si quid certi nobis reservatum est, non inani judicio a Parentum institutis ad descendentium mores indagandos progredimur.

Quae fuerit origo Etruscorum, lite numquam decidenda disputatur inter eruditos. Mihi vero semper adrisit opinio, Italiam nostram, ubi primum ex aquis adparuit (nam diu Pelago obruta est post Diluvium, donec Abyla, & Calpe redundantis Maris nostri abyssum in Oceanum effuderint) ubi primum, inquam, adparuit a Chetim Noe Pronepote sibi fuisse adquisitam; (Littera Hebraica habet כתים *Chittim*,) nam a Noe prognatus est Japhet, cujus filius Javan genuit Elisa, Tharsis, Chittim, & Dodanim; *ab his divisae sunt Insulae Gentium in Regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam & familias suas in Regionibus suis*, ut in Genes. X. Javan Graeciam occupavit, quae ab illo nomen sortita est in Scripturis Sanctis, quemadmodum a Chittim dicta est Italia apud Hebraeos, ut notat D. Hieronymus: num. XXIV. 24.

Cum ergo ex tam puro fonte prima haec, & princeps Colonia in Italiam deducta est, & signanter in Etruriam, quae prima habitari

tari coepit, (nam ceterae Urbes a Campania, & infra a Graecorum Coloniis longe post deductis frequentari coeperunt, servato Etruscis primatu) nil mirum, multa sibi de traditione Patrum retinuisse, quae nonnisi a fide revelata in posteros transmitti poterant, & fideliter conservari. Quamquam enim humana levitate, & commercio cum populis corruptissimis haec Fidei hereditas sensim deformaretur, tamen Etrusca Natio omnium illius temporis cultissima, atque castigatissima notas plurimas primaevae Religionis in aliqua semper Schola tenacissime, & cautissime conservavit, in qua, licet rari, sed sapientissimi instruerentur.

Hinc dogma illud praecipuum Unitatis, atque Aeternitatis Dei arcessendum est; quamquam enim humanae rationi concessum sit ad hanc veritatem pervenire, attamen maxime dubito, mentes, nonnisi purissimas, atque castissimas, quae ea aetate rarae admodum erant, tam grande donum multitudini hominum omnino obpositum consequi potuisse.

Ad eumdem fontem refero creationem Angelorum, quos ipsi Genios vocabant, & impensissime colebant, & in omnibus suis actionibus, veluti Praesides, & Custodes, inserere solebant, ut clare liquet ex tota praesenti hac conlectione. Medios illos reputabant inter Deum, & homines Creaturarum omnium custodiae deputatos, qui mortalium vota, sacrificia, & bene facta Deo exponerent, ut vice bonorum operum fausta omnia, & felicia hominibus a Deo reportarent. De his videndus Tractatus noster de Cultu Genii in Musei Etrusci Tom. III.

Aliquos ex iis Deo repugnantes, & illius summae gloriae invidentes, malae mentis, & hominibus infestissimos agnoverunt, quos deinde fabulae in Gigantes, & Titanas deformarunt, in poenam rebellionis detrusos in Tartarum. Vide notas in has Picturas Etruscas Tabul. LVIII., & LIX., & in nostris Supplementis ad Tom. III. Mus. Etrus. Tab. XXV. Haec notitia, quam in divinis Scripturis subinde productis raram, & subobscuram habemus, Etrusci, nonnisi ex traditione Fidei revelatae, desumere potuerunt.

Vitam omnino beatam, eamque aeternam servari in Caelis his omnibus, qui juste, & pie vixissent, firmiter crediderunt; poenas vero aeternas, ac saevissimas malis, quidquid ceteri hominum putavissent circa immortalitatem animae, aut virtutem vitiis deturpatam. De hoc argumento consule nostrum Acheronti-

ronticum, & praecipue de mortuis inter Deos referendis, & quae infra paravimus ad Tom. III. Picturarum Etruscarum circa finem.

Inter crimina gradum quemdam agnoverunt majoris, aut minoris malitiae, ut alia aeternum, alia vero temporarium supplicium paterentur obnoxii. Vide Dempsterium, & adnotationes nostras ad has Picturas, ubi incidit sermo de Balneis, & Lavacris purificatoriis ante Nuptias, & sumptionem Togae Virilis, in Tomo praecedenti, & alibi.

Peccata omnia expiari quodammodo posse in hac vita per aliquod poenitentiae genus reputabant, & statas caeremonias, & purgationes, etiam atrociores pro modo culpae. Vide Gorium Mus. Etrusc. Tom. I. Tab. CLXXIII., rursusque in Tomo III. nostrarum Picturarum circa finem.

Suffragia pro mortuis utilia praedicabant, dum minori labe contaminati excessissent, ita ut viventes pro mortuis debita exsolverent, ut istorum supplicia mitigarentur, aut cessarent. De hoc argumento plurima dicenda erunt, & monumentis confirmanda in sequenti Tomo III., ubi de funebribus sacrificiis sermo erit.

Sacrificia cruenta, nonnisi ex Divina revelatione, ejusque praescriptione ante, & post Diluvium intelligere potuerunt, quamquam superstitio succrescens, & fabulae omnia ubique depravaverint.

Traditio de Resurectione Mortuorum omnino adversa doctrinae transmigrationis, non nisi a lege revelata, deduci poterat. De hoc argumento testimonia plura suo loco adferemus.

Exstitisse vero apud plerasque Gentes aliquod lumen scientiae a Deo aliquando revelatae, vel ex hoc intelligimus, quod apud plurimos haec notitia degeneraverit in sycophantiam; unde populorum duces, & regnorum fundatores cum legibus suis auctoritatem conferre vellent, eas caelitus haustas, & a Diis communicatas effutiebant; ut apud Aegyptios, Graecos, aliosque Populos evenisse intelligimus, pronis hominum animis ad ea, quae caelitus dimissa ferebantur. Hinc apud Etruscos etiam (non tamen sobriae disciplinae) cum ad inania Haruspicinae studia plurimi declinassent, vulgo diffusum, Carmentam, Bigoen, & Tagetem leges servandas tradidisse, tamquam a Diis datas circa arborum fulguritarum curam, ceteraque omnia, quae sibi tractu temporis Disciplinae Etruscae nomen sibi vindicarunt; quibus commentis plebeculam

lam continerent. Ex his vero fallaciis, quas regnandi cupido induxerat, intelligimus, inſitam fuiſſe hominibus opinionem, eamque vehementem de religione aliqua antiquitus revelata, quae ſenſim obfuſcabatur, ac hominum vitio degenerabat in fabulas. Haec ſummatim adtingenda cenſui, ut ex hoc uno ſpecimine intelligamus, qui, & quales fuerint Etruſci noſtri, ut ea, quae ſeparatim circa id argumentum infra dicturi ſumus, Lectorem magnitudine argumenti non deterreant.

CAP. VI.

Quamquam Unici, & Aeterni Dei Cultores eſſent Etruſci, aliquam tamen in Deo generationem eſſe, agnoverunt.

QUicumque humanae mentis ductu Deum Unicum, Aeternumque concipimus, facillime intellectu adſequimur creationem omnium rerum eidem eſſe tribuendam, ut nihil omnino ſit, quod mirabili ex fonte illius non emanaverit. Ardua tamen captu eſt illius generatio, quae nobis ſuggerit productionem omnino paris, & aequalis ſibi, quod non niſi ex fide revelationis poterat hominibus patefieri. Adſequitur quidem ratio, Deum perpetuo perfectiones ſuas cognoviſſe, & cognitas amaſſe, ſed quomodo cognoſcendo Parem ſibi neceſſario produxerit, a revelatione declarandum exſpectat. Hanc vero generationem adſequutos eſſe Thuſcos, comperimus ex traditione primorum Parentum, quibus tam grande ſecretum non fuerat ignotum, Deum nempe Prolem unigenitam non creaſſe, ſed generaſſe ab aeterno. Arcanum id, ut poterant, Sapientiſſimi Etruſcorum in publicum effunderunt, ſed plebs corrupta ſtatim fabulis obvelavit, idque tantis ambagibus, ut quidquid erat veritatis, miſerrime perderetur.

Quoties igitur Bononiae Pateram Coſpianam, Etruſci operis ſingulare monumentum, manibus verſabam, in qua exprimitur Jupiter Minervam e capite effundens, continuo conſpicatus ſum, aliquid longe eminentius fabella Etruſcos in ea adumbraſſe. Et revera meditabar Orpheum in Hymno Minervae totam Deorum geneſim penitus ſubvertiſſe, cum ipſam adpellet Διὸς μουνογενὴν *Jovis unigenitam*:

> Παλλὰς μουνογενὴς, μεγάλου Διὸς
> ἔγγονε σεμνή.
>
> *Pallas unigenita magni Jovis filia*
> *veneranda*,

cum contra, ſi intendimus fabulis,

filios

filios ille plurimos procrearit. Sustulit autem dubitationem locus Plutarchi in libro *de Iside*, *&* *Osiride*, ubi ex Aegyptiorum sententia nihil sub Minervae nomine intelligendum declaravit, nisi Sapientiam Dei coaeternam, & omnium, quotquot creata sunt, productricem; refert enim inscriptionem Minervae positam in ejus templo apud Aegyptios: Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον· καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν. *Ego sum omne, quod fuit, quod est, quod futurum est. Velum meum nemo mortalium hactenus revelavit*. Proclus vero in libro de *Anima*, & *Daemone* subdit particulam a Plutarcho intermissam in fine, quam sic proferre, deficiente Graeco textu, necesse est: *Quem ego fructum peperi, fuit Sol*. Quod mire congruit cum Salomonis elogio, dum enumerat opera Sapientiae Ecclesiastic. XXIV. 5.: *Ego feci, ut in Caelis oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram*. Vides igitur, quid in ea sculptura intellexerint Etrusci, quamquam sub velamine fabulae, cum nihil ultra apud vulgus panderetur, quam generatio quaedam aeterna: Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, *ego sum omne, quod fuit*; semper duratura: καὶ ἐσόμενον, *& quod futurum est*; demum omnia perspiciens in toto eo, quod ὄν audit, scilicet *quod est*, ut nihil aliud huic simile a Jove creatum sit, quam Παλλὰς μουνογενής, *Pallas unigenita*.

Quod vero sub nomine Jovis, alibi demonstravimus, nihil a principio sapientes intellexerint, quam Deum unicum increatum, atque omnium factorem saepe argumentis demonstravimus. Obcurrit vero in praesentia testimonium Apostoli Paulli Actorum XXVII. 28., ubi citat locum Arati in princip. Phaenomenon:

Πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες:
Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

ubique autem Jove indigemus omnes:
Hujus etenim genus sumus.

Paullus vero hunc textum adducens Jovem Διὸν manifestissime Deum interpretatur: *In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus, sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt, ipsius enim & genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus aestimare auro, & argento, aut lapidi, sculpturae artis, & cogitationis hominis divinum esse simile*. Cum ergo Dei magnalia ab initio sincere culta sub nomine Jovis, sive, ut innuimus, יהוה *Jehovah*, diffusa sint in populum joculatorem, & fabulis redundantem, mirandum non est, aliquid de Divina generatione

tione ſenſiiſſe, eaque aeterna, & in aeternum manſura. Nec enim Dei cogitatio ſimilis eſt humanae, cum cogitans ſemper producat, & qui ab aeterno ſemper cogitavit, aliquid ab aeterno cogitatione generaverit. Ipſum nomen Minervae Etruſcis tantum intellectum nil aliud ſignificat, quam ΜΕΝΟΣ *animus*, & revera Etruſcis ſemper dicitur MENERVA ſub forma derivativi, quemadmodum a ΚΕΡΑΣ *Cerva*, & alia hujuſcemodi. Latini vero ex ΜΕΝΟΣ *Mentem* deduxerunt, ut ex Nunneſio oſtendit Voſſius. Sit Animus, ſit Mens, ſit Cognitio, ſit Effatum Dei (nam propriore vocabulo uti non audeo) haec eſt illa Cognitio perfectiſſima ſui, ſine qua Deus numquam eſſe poteſt.

CAP. VII.

Integrior Etruſcorum Diſciplina a Deo formatum fuiſſe hominem ex luto adfirmabat.

DEducta ex primis puriſſimis fontibus traditione, eaque diligenter ab Etruſcis cuſtodita circa Divina adtributa, & opera illius ſpecioſiora, Deum formaſſe hominem ex luto, firmiter reputabant. Pudeat Aegyptios illum ex putri eduxiſſe, quale probrum nec vermibus imputamus. Nec felicius hariolati ſunt aliqui ex Graecis, qui genus humanum imperio ſubjectum ſine origine aeternum fuiſſe, putaverunt. Luſiſſe vero crediderim, qui tradidere, Deucalionem, & Pyrrham, projectis poſt tergum lapidibus, labefactatum diluvio genus hominum abundanter reparaſſe; commentum infelix, quo non hiſtoriae tantum, ſed & dignitati fabulae detrahatur. Operam vero luſiſſe credo non eos tantum, qui haec rudibus obtruderunt, ſed eos potiſſime, qui in hiſce rugis arcana quaedam altiſſima doctis viris enucleare conati ſunt.

Veritatem adtigerunt Etruſci noſtri, quibus firma ſtetit opinio, Providentiam Dei hominem formaſſe ex luto, eumque ad imaginem ſui, quemadmodum intellexi ex geminis Etruſcis lapillis inciſis, quorum ectypa excepi ex ſchedis Cl. Bonarrotii, eaque in octava Centuria Gemmarum ſelectiſſimarum, quae lucem prope diem exſpectant, redegi, & inluſtravi. Sedet in utraque Artifex ſenex, qui ex luto impoſito ſuper arulam hominis ſimulacrum educit, & ſtilo perficit ad elegantiam. Inventum utrique idem haud multum diſcrepantibus lineamentis. Haec expoſitio ad Moſaicae hiſtoriae veritatem adcedit; nam

Prome-

Prometheus nil, nisi Providentiam nobis obiicit, quae Graecis Προμηθεία. Sub hoc vero adtributo etiam Ethnici Deum intellexerunt, ut ex Cornuto Lactantius lib. II. cap. IX. circa fin.: *Prometheum adpellatam Providentiam animae universalis, quam juniores vocarunt Providentiam.* Quin etiam apud Lucianum in Timone habemus, Deucalionem a Prometheo edoctum arcam sibi fabricasse, in qua cum conjuge diluvii naufragium evaderet, inclusa Columba indice cessationis tam magnae cladis, quae omnia conlimant cum sacra Historia, ex qua instruimur, Noe non alio, quam Dei praecepto, haec omnia praestitisse, licet non sine temporum, & personarum perturbatione, quod semper fabulae solemne fuit. Quin etiam fabulam alteram subtexuerunt Prometheo, quod in Caucasi rupibus supplicio adfectus esset, quod Jovi in sacrificio bovem osseum obtulisset, pinguiore sibi reservato, ut apud Hesiod. Theogon. 536.:

Τότ' ἔπειτα μέγαν βοῦν πρόφρονι θυμῷ
Δασσάμενος προὔθηκε, Διὸς νόον ἐξαπατίσκων.
Τῷ μὲν γὰρ σάρκας τε καὶ ἔγκατα πίονι δημῷ
Ἐν ῥινῷ κατέθηκε, καλύψας γαστρὶ βοείῃ.
Τῷ δ' αὖτ' ὀστέα λευκὰ βοὸς δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ
Εὐθετίσας κατέθηκε, καλύψας ἀργέτι δημῷ.
Δὴ τότε μιν προσέειπε πατὴρ ἀνδρῶν τε, θεῶν τε.
Ιαπετιονίδη, πάντων ἀριδείκετ' ἀνάκτων,
Ὦ πέπον, ὡς ἑτεροζήλως διεδάσσαο μοίρας.
. . . .
Τὸν δ' αὖτε προσέειπε Προμηθεὺς ἀγκυλομήτης.
. . . .
Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε θεῶν αἰειγενετάων
Τῶν δ' ἕλευ ὁπποτέρην σε ἐνὶ φρεσὶ θυμὸς ἀνώγει.

ibi tum magnum bovem prompto animo
Divisum proposuit, Jovis mentem fallens.
Hac enim parte carnesque, & intestina cum pingui adipe
In pelle deposuit, tegens ventre bovino.
In altera rursum ossa alba bovis, dolosa arte,
Rite disponens, deposuit tegens candida arvina,
Jamque tum ipsum adloquutus est Pater hominumque, Deûmque:
Japetionida omnium celeberrime regum,
O amice, quam inique divisisti partes!
. . . .
Hunc rursus adloquutus est Prometheus vafer:

 Jupi-

. . . .

Jupiter gloriosissime, maxime Deorum sempiternorum,
Harum elige utram te in pectoribus animus jubet.

Heic siquidem manifeste Caini sacrificium intuemur, ac maledictionem inde illi subsequutam. Recte de hoc Cicero Tusculan. Quaest. lib. V. cap. 3.: *Nec vero Atlas sustinere Caelum, nec Prometheus adfixus Caucaso, nisi caelestium divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulae traduxisset. A quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes & habebantur, & nominabantur.* Ceterum fabulis omnia turbantibus, ac depravantibus, nihil ultra de Prometheo ex Thuscorum monumentis habemus, nisi formationem hominis ex argilla, & illius supplicium, de quo infra, tum quae produximus ex Cicerone, qui hujus fabulae originem *ex Caelestium divina cognitione* deducit, quam facile ex Etruscis mutuari poterat, unde etiam Ovidius Metam. I. vers. 79., qui pari cognitione fulcitus formationem hominis Deo adtribuit:

Ille opifex rerum Mundi melioris origo.

CAP. VIII.

Conditionem Naturae lapsae, ejusque detrimenta cognoverunt sapientiores Etrusci non tantum ex ratione, verum etiam ex traditione Fidei revelatae.

Mentem Etruscorum, subtractis eorum libris, non obscure adsequimur a monumentis, quibus doctrinam suam penitiorem ingeniose ad posteros transmiserunt. Doctrina haec plurima subest fabulae, sive allegoriae Promethei ad pabulum vulturis proprio jecore deputati, ex quo intelligimus fabularum incostantiam, praesertim longo temporum successu, ut primi, qui Prometheum Dei Creatoris imaginem esse voluerunt, usurpato deinde a successoribus nomine, ad Adam naturae lapsae primum auctorem inconsiderate transtulerint, & supplicio deputaverint, quod hominum mentem depravasset. Utra ex duabus hisce fabulis antiquior sit, ut haec postrema correcta fuerit per alteram superiore loco evolutam, in tanta temporum caligine penitus ignoramus. Ex hoc tamen commento unum id intelligimus, Sapientes Etruscos adtigisse conditionem naturae lapsae non tantum ex ratione, sed etiam ex traditione Fidei revelatae primis parentibus, quibus

quibus magis de proximo adcedebant. Ratione quidem; cum enim in brutis, immo in ipsis insectis tantum ordinem videamus in sui custodiam, & propriae speciei circa finem illis praescriptum, quis non miretur, hominem, in cujus gratiam quidquid conspicitur creatum est, & ad altissimum finem institutum ab utroque deviasse, ac totius naturae miserrimam esse creaturam? Adcessit traditio praecepti alicujus indicti primis Parentibus, quo transgresso, poena esset subsequuta. Quod vero selectiores hominum solitarie meditabantur, vulgus expressit figura Promethei ad supplicium damnati, quam suo loco producturi sumus.

Filius hic Japeti (fortasse Japhet, de quo in libro Genesis cap. 10.) hominum procreator ex luto post diluvium, & propagator humani generis facile confunditur cum primaeva creatione, ad quam refertur adlusio. Hunc credebant, formatis ex argilla hominum figuris, furtivo igne animam illis indidisse. Ovid. Metam. I. vers. 82.:

Quam satus Japeto, mistam fluvialibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Quin & excerpta a singulis animalium speciebus indole, ac peculiari natura, hominibus suis mixtim inseruisse ferebatur timorem, audaciam, stupiditatem, rapinam. Hinc Horatius Carm. lib. I. Od. XVI. vers. 13.:

Fertur Prometheus addere Principi
Limo coactus particulam undique
Desectam, & insani Leonis
Vim stomacho apposuisse nostro;

unde homines ad vitia cuncta proclives produxit. Propertius lib. III. Eleg. V. vers. 7.:

O prima infelix fingenti terra Prometheo;
Ille parum cauti pectoris egit opus.
Corpora disponens mentem non vidit in arte,
Recta animi primum debuit esse via.

Deerat calor simulacris animandis, quem ille, femina duce, nempe Minerva, e caelo raptum figmentis inseruit. Horatius Carm. lib. I. Od. II. vers. 27.:

Audax Japeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit:
Post ignem aetherea domo
Subductum macies, & nova febrium
Terris incubuit cohors;
Semotique prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum;

Subeunte nempe Pandora, quae mala

cuncta diffudit; & Prometheus conjectus in vincula poenitentiae aeternae deputatus est, unica spe superstite venturi aliquando Herculis, qui illum e supplicio liberaret.

Hinc deducebatur perpetua illa in nobis passionum pugna, quam Cicero Tusculan. Quaest. II. 21. divisionem animi adpellat: *Est enim animus in partes tributus duas, quarum altera rationis est particeps, altera expers; cum igitur praecipitur, ut nobismetipsis imperemus, hoc praecipitur, ut ratio coerceat temeritatem*; & rursus lib. IV. 5.: *Pythagorae primum, deinde Platonis descriptionem sequar, qui animum in duas partes dividunt, alteram rationis participem faciunt, alteram expertem. In participe rationis ponunt tranquillitatem, idest placidam, quietamque substantiam, in illa altera motus turbidos tum irae, tum cupiditatis contrarios, inimicosque rationi*; quod iterum adfirmavit de Fato cap. 5., & de Universitate cap. 33.

Hanc vero pugnam, seu potius dicam, periculum in tam nobili creatura ad principatum naturae destinata, deinde vero (ut etiam Etrusci credebant) ad participationem aeternae felicitatis, non ex vitio creationis intelligebant evenire potuisse, quam perfectissimam omnino concipiebant ex parte Creatoris, sed tantummodo ex culpa primorum Parentum, qui ordinationem pulcherrimam noxa aliqua, ipsaque ingenti, naturam labefactaverint. Ne tamen nimium adtribuisse videar meditationibus hujus Nationis, in medium adducam sollicitum illud institutum, quo in pueris educandis potissime utebantur, de quo saepe incidit sermo in nostris ad has Etruscorum Picturas adnotationibus, ex quibus conligitur ceteris omnibus populis in hoc officio praeiisse, haud obscuro argumento agnovisse illos pericula humanae indolis sine dubio corruptae a puriore primo statu, nonnisi studio maximo corrigi potuisse. Hinc unica haec Natio ante Romam conditam legitur habuisse singulis in Urbibus ad pueros instituendos publicas Academias, in quibus etiam peregrini adciperentur, quos inter Romulum adolescentem numerat Macrobius in Somnio Scipionis lib. II. 17., & Cicero de Divinat. cap. 41. Ex hac vero schola non communem tantum disciplinam hausisse puto Romanos, sed aliquid ex penitiore degustasse, cujus aliqua vestigia cautissime expressa in eorum libris invenimus.

CAP.

CAP. IX.

De opinione Etruſcorum circa Genios.

NUlla inter antiquas Nationes inventa eſt, quae creationem caeleſtium quarumdam Poteſtatum ignoraverit; ſed nuſquam hujus doctrinae frequentiora monumenta inveniuntur, quam penes Etruſcos. Has Graeci Δαίμονας, Thuſci vero, & Latini ab illis edocti Genios adpellarunt, neque alios eſſe putaverunt, quam Dei ſupremi filios, hoc eſt creaturas. Feſtus: *Genius eſt Deorum filius, & parens hominum*; nec alio ſenſu Jupiter apud Graecos vocatur Pater Deerum, praeſertim vero apud Homerum Iliad. A. 544.:

Τὴν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα πατὴρ ἀνδρῶν τε, θεῶν τε.

Huic reſpondit poſtea Pater virorumque, Deorumque;

& apud Virgilium Aeneid. X. 18.:

O Pater, o hominum, Divumque aeterna poteſtas;

& Soranus apud D. Auguſtin. de Civ. Dei lib. VII. cap. 9.:

Jupiter omnipotens rerum, Regumque, Deumque
Progenitor.

Haec enim nuncupatio non a fabulis petita eſt, ſecundum quas vix paucorum Deorum fuit parens, ſed ab intima Mythologia, quae Deum omnium Creatorem, principium, & finem hominibus ſuggerebat, ut apud Orpheum in Hymno Jovis:

Παντογένεθλ', ἀρχὴ πάντων, πάντων τε τελευτή.

Omnium generator, principium omnium, idemque finis.

Hanc vero traditionem antiquiſſimam fuiſſe oportet, & uſque ab initio revelatam; nihil enim de hac creatione apud Moyſem, qui tamen in Libris ſuis illum continuo ſupponit. Par erat tamen, Deum grande Opus mundi molientem, quod ordine, & gradibus conſtare debebat, aliquid medium inter Ipſum, & hominem, & veluti vehiculum concepiſſe ad diſtantiam maximam conciliandam, ut terreno contemplatore creato, mentem illius elevaret ad imitationem caeleſtis. Hos vero Genios, ut cum Etruſcis loquar, in plures ordines dixtinctos Gentiles etiam agnoverunt; nam Plato in libro de Generibus Animantium alios inviſibiles, & omnino caeleſtes tradit, alios nobis familiariores, & aliquando adparentes, quibus poſtremis officia plura demandata eſſe putabant. Primum exponit Plato in Sympoſio: Καὶ γὰρ πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐςι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ. Τίνα (ἦνδ' ἐγώ) δύναμιν ἔχον; Ἑρμηνεῦον, ϗ διαποςθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων,

θρώπων, καὶ ἀνθρώποις τα παρὰ θεῶν, τῶν μὲν τὰς δεήσεις, καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε, καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν . . . Οὗτοι δή οἱ δαίμονες πολλοὶ, καὶ παντοδαποί εἰσιν. *Etenim omne Daemoniorum genus interjacet inter Deum, & mortales; Quam vim habet? Interpretatur (inquit) & trajicit humana ad Deos, divina ad homines; horum quidem preces, & ſacrificia, illorum praecepta, ſacroſque ſolemnes, inſtitutiones, & ordinem .... Enim vero hi Daemones multiplices ſunt, & varii*. Singulorum praeterea hominum curam illis commiſſam credebant. Seneca Epiſt. CX.: *Unicuique noſtrum Paedagogum dari Deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notae*. Addo pictoricam ejus imaginem ex Tabula Cebetis: Ὁ δὲ γέρων, ὁ ἄνω ἑστηκὼς, ἔχων χάρτην τινὰ ἐν τῇ χειρὶ, καὶ τῇ ἑτέρᾳ, ὥσπερ δεικνύων τὶ, οὗτος δαίμων καλεῖται. προστάττει δὲ τοῖς εἰσπορευομένοις, τί δεῖ αὐτοὺς ποιεῖν, ὡς ἂν εἰσελθωσιν εἰς τὸν βίον. καὶ δεικνύει, ποίαν ὁδὸν αὐτοὺς δεῖ βαδίζειν, εἰ σωζεσθαι μέλλουσιν ἐν τῷ βίῳ. *Senex autem, qui ſuperne ſtat, chartam aliquam manu tenens una; & altera quaſi aliquid monſtrans, hic Genius vocatur. Mandat autem ingredientibus, quid eis faciendum ſit, ubi in vitam ingreſſi fuerint, & oſtendit, cui viae ſe committere debeant, ſi velint eſſe ſalvi in vita*. Adde his Martianum Capellam de Nupt. Philol. lib. I., & Jamblichum de Myſteriis, ceteroſque hujus doctrinae adſertores, quos deduxi in Diſſertat. de Genio Domeſtico Muſ. Etruſc. lib. III.

Alterum quoque officium Geniis adtribuerunt, ut Urbes, Provincias, & Regna tuerentur. Plato in IV. de Legibus: Γινώσκων ὁ Κρόνος ἄρα ... ὡς ἀνθρωπεία φύσις οὐδεμία ἱκανὴ, τὰ ἀνθρώπινα διοικοῦσα αὐτοκράτωρ πάντα, μὴ οὐχ ὕβρεώς τε, καὶ ἀδικίας μεστοῦσθαι. Ταῦτ᾽ οὖν διανοούμενος, ἐφίστη βασιλέας γε, καὶ ἄρχοντας ταῖς πόλεσιν ἡμῶν, οὐκ ἀνθρώπους, ἀλλὰ γένους θειοτέρου τε, καὶ ἀμείνονος, δαίμονας. οἵ τε νῦν ἡμεῖς δρῶμεν τοῖς ποιμνίοις, καὶ ὅσων ἥμεροι εἰσὶν ἀγέλαι. οὐ βοῦς βοῶν, οὐδὲ αἶγας αἰγῶν ἄρχοντας ποιοῦμεν αὐτοῖς τινὰς, ἀλλ᾽ ἡμεῖς αὐτῶν δεσπόζομεν, ἄμεινον ἐκείνων γένος. *Cognoſcens Saturnus, ... nullam humanam naturam res humanas ita gubernare poſſe, ut ſi omnibus arbitratu ſuo dominetur, laſciviori ſuperbia, injuſtitiaque non repleatur; Cum haec, inquam, non ignoraret, non homines, ſed divinioris, praeſtantioriſque generis Daemones, Civitatibus noſtris reges, principeſque praefecit, quod nunc nos in ovium gregibus, aliorumcicurum armentis facimus. Non enim bobus boves, nec capris capras praeficimus, ſed nos ipſi genus melius dominamur*. Utinam hae doctrina ex puriſſimo fonte propagata fabulis, & inlu-

& inlusionibus exturbata non fuisset, non enim subjungenda foret querela Prudentii contra Symm. 444.:

Denique cur Genium Romae mihi fingitis unum,
Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos Genios . . .

Ceterum quicunque fuerit & in hac re Etruscorum excessus, constat tamen, doctrinam hanc in sui origine nitidissimam in illorum animis alte fuisse impressam, cum in omni fere actione Virorum Genii, & Geniae feminarum custodes ad discrepantiam demonstrandam ex lineamentis introducantur.

Numquam vero mirari destiti formas, quas Etrusci Geniis suis adtribuerunt, nempe adolescentum pulcherrimorum, atque aligerorum, tam consonas iis, quas postea ex Hebraeorum traditione Angelis Sanctis adtribuit Ecclesia; quin etiam sub tali adspectu Sanctis Viris adparuisse compertum est. Mirabar vero quam maxime Geniis omnibus praeposuisse Genium supremum, cui potestatem animarum secernendarum tribuerunt, prout merita vel bona, vel mala exegissent. Huic Mercurii nomen indiderunt, quem morientes potissime & formidabant, & invocabant, ut cubitum ituri sine ejus sacrificio a somno abstinerent, quod somnus imago tantum mortis, & veluti umbra videretur, de quo Virgil. Aeneid. IV. vers. 240.:

primum pedibus talaria nectit
Aurea, quae sublimem alis, sive aequora supra,
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit. Hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit,
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.

Quin etiam Etrusci, praeter talaria, saepissime ejus humeris quatuor praegrandes alas geminas sursum conversas addiderunt, duas vero deorsum inflexas, quibus superna simul, & inferna penetraret.

Symbolum maxime notandum hujus Genii Principis obcurrit in Tabula CCLXII. Tomi sequentis jam parati, in qua fata Achillis, ejusque deificatio diligenter expressa est. Hoc Heroe defuncto, anima illius conspicitur in collo Vasis, quae constituta cernitur coram Mercurio, veluti judicanda, utrum inter Divos sit recensenda. Mercurius vero adpensa trunco ingenti lance merita illius videtur expendere; quae omnia suadent, notitias istas de hujus Principis officio ab optimo

optimo fonte deguſtatas paulatim fabulis ſubjeciſſe.

Nec mihi objiciatur, Deum hunc apud Etruſcos unum eſſe ex primariis Diis, quos vocabant Conſentes, non vero ex claſſe Geniorum, quos Deorum adminiſtros reputabant; cum enim in Schola Arcana longe diverſa a Populari, quae innumeros pene Deos ſibi fingebat, unus tantum omnino Deus eſſe putaretur, quidquid praeter illum exſiſteret inter ejus Creaturas conſtantiſſime cenſebatur.

C A P. X.

Pravorum Angelorum ſupplicium Etruſcis notum.

Conſentiunt Eruditi, fabulam illam de bello Gigantum, ac Titanum adverſus Deos de caeli primatu contendentium, eorumque in Tartarum dejectionem, licet humanis coloribus obfuſcatam, Luciferi, & ſociorum ejus grande ſupplicium manifeſte deſignare. Hanc Etruſcos non latuiſſe, manifeſtiſſime oſtendit illius deſcriptio in Urna Etruſca Peruſina apud Dempſterium Tab. LXX., & rurſus Tab. LXXI. n. 2., tum & in Urna apud Doctiſſimum Guarnaccium lib. VI. cap. III. Italicarum Originum pag. 174., ubi Jupiter, & Luna alata in quadrigis Titanes debellatos proculcat; quemadmodum & in altera, quam protuli in meis Additamentis ad Tomum III. Muſei Etruſci Tab. XXV. n. 3., in qua unus ex Titanibus ſerpentinis pedibus deformatus adverſus Deorum ictus pelta interpoſita ſe tuetur. Repetas ex Apollodoro duplicis ejus belli deſcriptionem; & ea omnia, quae ex his marmoribus conliguntur, ſi compares cum locis Biblicis, & SS. Patrum teſtimoniis, continuo, abjecta larva fabuloſa, veritas eluceſcet.

Hanc traditionem vulgarem fuiſſe apud Ethnicos, confirmat fabella altera de Dea Ate filia Jovis, & contubernale, quae cum diſcordiam in caelo ſparſiſſet, inde a Parente dejecta fuit, ut narrat Homerus Iliad. XIX. 126.:

Αὐτίκα δ' εἷλ' Ἄτην κεφαλῆς λιπαροπλοκάμοιο,
Χωόμενος φρεσὶν ᾗσι, καὶ ὤμοσε καρτερὸν ὅρκον, ...
Μήποτ' ἐς Οὔλυμπόν τε, καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα
Αὖτις ἐλεύσεσθαι Ἄτην, ἣ πάντας ἀᾶται.
Ὣς εἰπὼν, ἔρριψεν ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
Χειρὶ περιστρέψας.

Illico autem (Jupiter) corripuit Aten, capite nitentibus capillis ornato,

Iratus

Iratus animo ſuo, & juravit firmum juramentum,
Numquam in Olympumque, & Caelum ſtellatum
Redituram Aten, quae omnes infortunio adficit.
Sic fatus ejecit e Caelo ſtellato
Manu rotans.

Haec autem, quae *noxa*, *detrimentum*, ac *maleficium* interpretatur, nihil eſt apud ipſum Homerum, niſi Daemon humano generi inſidians; eamque Suidas manifeſte Diabolum eſſe adfirmat, & poſt Suidam doctiſſimus Cardinalis Beſſarion lib. III. *in Calumniatores Platonis*. Luciferum vero ſua culpa ejectum in terram, & exſecratum idem Plato didicerat ab Homero ejus Theologo, qui, ſive beneficio quodam naturae, ſive Moyſis Prophetae ſcriptis carmine ſuo expoſuerat lapſum Luciferi, quem ille Atem adpellat.

Hunc vero noxium ſpiritum, quem Homerus dicto lib. XIX. v. 90. ſupra hominum capita incedere deſcripſit:

Θεὸς διὰ πάντα τελευτᾷ
Πρέσβα Διὸς θυγάτηρ Ἄτη, ἣ πάντας ἀᾶται,
Οὐλομένη, τῆς μέν θ' ἁπαλοὶ πόδες. οὐ γὰρ ἐπ' οὔδει
Πίλναται. ἀλλ' ἄρα ἥγε κατ' ἀνδρῶν κράατα βαίνει,
Βλάπτουσ' ἀνθρώπους.

Dea omnia perficit
Veneranda Jovis filia Ate, quae omnes offendit,
Pernicioſa; hujus quidem molles pedes; non enim ad terram
Adpropinquat, ſed haec per virorum capita incedit
Laedens homines.

Hanc, inquam, optime norunt Etruſci, in quorum marmoribus ipſam in aere ſuſpenſam ſaepe intuemur, nec niſi ad trucia quaeque impellentem, ut Muſei Etruſci Tom. I. Tab. CXXV., & CXLI.; rurſuſque eam criminabimur in Tab. LVI. Tomi IV. ejuſdem Operis, qui Typographi manum exſpectat. Hinc deducitur, Etruſcos ſub utriuſque fabulae involucro primaevam malorum noſtrorum originem intellexiſſe, reproborum Angelorum lapſum, ſimulque ſupplicium, e cujus ſede infenſiſſimi omnimode inſidiarentur hominibus, ut eos in eamdem ſortem involuerent.

Haec cum agnoſcerent Thuſci, duo exinde deduxerunt, optimum unum, ac rectum, Animae nempe immortalitatem, de qua infra erit ſermo; reprobum alterum, atque perverſum, non tamen commune ſapientibus, ſed popularibus, ac vulgaribus, nempe duo eſſe principia inter ſe pugnantia, atque aequi-

aequipollentia, Boni nempe, ac Mali, quae Lucis, & Tenebrarum nomine exprimebant; cum enim vim tantam fieri justitiae viderent, ut saepe opprimeretur, atque in semetipsis impetum quemdam ad malum sentirent, non aliter id fieri posse opinati sunt, quam ex imperio Potestatis alicujus, quae vires Boni aequilibraret. Invaluerat hic error apud quosdam Philosophos, veram originem ignorantes corruptae naturae, de qua Plutarchus in libro *De Iside, & Osiride*: Νομίζουσι γὰρ τοὺς μὲν θεοὺς εἶναι δύο, καθάπερ ἀντιτέχνους. τὸν μὲν ἀγαθῶν, τὸν δὲ φαύλων δημιουργόν. οἱ δὲ τὸν μὲν ἀμείμονα, θεὸν, τὸν δὲ ἕτερον, δαίμονα καλοῦσιν. ὥσπερ Ζωρόαστρις ὁ μάγος, ὃν πεντακισχιλίοις ἔτεσι τῶν Τρωϊκῶν γεγονέναι πρεσβύτερον ἱστοροῦσιν· οὗτος οὖν ἐκάλει τὸν μὲν, Ὠρομάζην, τὸν δὲ, Ἀρειμάνιον, καὶ προσαπεφαίνετο ......, μέσον δὲ ἀμφοῖν τὸν Μίθρην. *Existimant enim alii, duos esse Deos, contrariis deditos artibus, ut bona alter, alter mala opera conficiat; alii eum, qui est melior, Deum, qui deterior, Daemonem dicunt; in qua sententia fuit Zoroaster Magus, quem narrant* 500. *annis antiquiorem bello Trojano exstitisse. Is ergo melioris nomen OROMAZAN, pejoris AREIMANIUM perhibuit; addiditque......, medium horum esse MITHRAM.* Hinc circa annum Chr. CCLXXVII. exorta est inter Christianos Manichaeorum secta, quae Maximum Augustinum occupavit in ea refutanda.

Hoc igitur errore seducti simpliciores ex Etruscis duo sibi constituerunt, nempe principium Malum placandum esse sacrificiis, quae in honorem Hecates ex victima catuli praescribuntur in Tabulis Eugubinis, ne messibus noceret, quod sacrum Graeci Περισκυλακισμόν, Etrusci vero 𐌐𐌄𐌓𐌔𐌊𐌋𐌖𐌌 *Persclum* per syncopen adpellabant. Alterum erat inferna illa Hierarchia Inferioribus Numinibus refertissima cum imperio, & majestate, nec sine deliciis, & ambitione Nuptiarum, jactante Plutone apud Claudianum de Rapt. Proserp. II. vers. 334.:

Amissum ne crede diem; sunt altera nobis
Sidera; sunt orbes alii; lumenque videtis
Purius, Elysiumque magis mirabere Solem,
Cultoresque pios; illic pretiosior aetas
Aurea progenies, habitant. nec mollia desunt
Prata tibi; Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit Henna.

Quid Parcis venerabilius; quid augustius Aeaco, Rhadamantho, &

Minoe

Minoe Triumviris Juridicundo apud Inferos ; quid religiosius palude Stygia ,

Dii cujus jurare timent, & fallere Numen?

Haec tamen omnia , si leniter excurras Etruscarum Antiquitatum libros , ubique magnifice expressa observabis , praesertim apud Virgilium Thuscae originis hominem , ipsumque non in aliena tantum , sed potissime in nationis suae eruditione versatum. Haec tamen commenta in vulgus Etruscorum refello ; selecta enim Schola , quae tam bene de Deo sentiebat , cum haec audiret , subrisit , & tacuit . Quis enim integer mentis credat Deum malum Bono coaeternum? Quis Deum bonum felicem tali aemulo copulatum ? Quis cum videat plura mala, quam bona fieri , Deum Malum Bono praepotentem non credat? Abhorrent haec a recto judicio , ut potius in hominum depravatam a primaevo statu naturam haec detrimenta refundamus .

CAP. XI.

Animae Immortalitas constantissime ab Etruscis adserta .

CUM multa grassarentur Philosophorum commenta circa animae conditionem , nil antiquius habuerunt Etrusci , quam de animae immortalitate sentire. Obvium omnibus argumentum est , & a naturali ratione subministratum ; Deus est; ergo anima est immortalis; nam ubi Deus , cum prosperantur latrones , aut innocentes cruciantur , nisi poena , vel praemium aliquando illis reservetur ? An ne tanta rerum machinatio in obsequium hominis ordinata fuit , in quo nihil inesset, nisi paullulum aetheris facile evanidi , ut apud Aristotelem lib. I. de Anima putabat Orpheus ? Hujus errorem Epicurus amplificavit adversus Platonis sententiam dicentis in Phaedone : Μὴ φοβηθῇ (ταῦτα δ' ἐπιτηδεύουσα, ὦ Σιμμία τε , καὶ Κέβης) ὅπως μὴ διασπασθεῖσα ἐν τῇ ἀπαλλαγῇ τοῦ σώματος , ὑπὸ τινῶν ἀνέμων διαφυσηθεῖσα, καὶ διαπταμένη οἴχηται , καὶ οὐδὲν ἔτι οὐδαμοῦ ᾖ . *Non est, cur metuat , o Simmia , & Cebes , ne cum recedat a corpore , distrahatur, & dissipetur, omnisque in ventos vita recedat , & supersit nihil cuiquam*; ut de Didone dixit Virgilius :

omnis , & una
Dilabsus calor , atque in ventos vita recessit .

Fuere inter ceteros , qui maxime ridendam doctrinam effuderint , quam non uno in loco Servius impingit Virgilio , quem licet poetice loquutum , ab ea tamen longe alienum

alienum fuiſſe ex manifeſtis locis deducimus ; tres nempe animas ineſſe hominibus , quamquam diſparis dignitatis , ſpiritum nempe, ſive purioris conditionis animam , quae veluti , ut ajebant, pars divinae ſubſtantiae Caelum peteret , praeterea imaginem , ſive ſimulacrum , quod inferno deputatum erat , Umbram vero , quae circa corpus verſabatur , donec ſubſiſteret , ut Aeneid. IV. 654. in illud : *ſub terras ibit imago : bene imaginem dixit , valde enim quaeritur apud Philoſophos , quid illud ſit , quod inferos petat ; ſed definitum eſſe quoddam ſimulacrum , quod ad noſtri corporis effigiem fictum inferos petat , & eſt ſpecies corporea , quae non poteſt tangi* ; Et Aeneid. V. 722. : *animae caelum tenent , ſimulacra vero apud inferos ſunt* ; & lib. VI. 740. : *depoſito corpore ſordes ſuperſunt , poenas autem minime perferunt animae , ſed illius conjunctionis reliquiae , quae fuit inter animam , & corpus* ; & ſupra Aeneid. III. 68. : *in ſepultorum animas* (quam alibi vocat umbras) *vagas eſſe , & hunc conſtat non legitimum ſepultum fuiſſe . Rite ergo reddita legitima ſepultura , redit anima ad quietem ſepulcri , quam Stoici terris condi , ideſt medium ſecuti tamdiu durare dicunt , quamdiu durat & corpus ; unde Aegyptii periti ſapientia condita diutius ſervant cadavera , ſcilicet , ut anima multo tempore perduret & corpori ſit obnoxia , nec cito ad alios tranſeat . Romani contra faciebant , comburentes cadavera , ut ſtatim anima in generalitatem , ideſt in ſuam naturam rediret .* Haec praemiſiſſe juvat ; nam alibi de hac doctrina , ſive nugis erit differendum .

Quae interim fuerit Etruſcorum ſapientum opinio de ſtatu Animae, illam facile intelligemus ex Romanorum ſapientioribus , qui immortalem eſſe adſeruerunt non ex Graecorum Philoſophia , quam ſemper variam , & vacillantem agnoverunt , ſed potius a vicinis Etruſcis , apud quos altiores litteras profitebantur , quos inter Cicero , & Seneca conſtantiſſime hanc doctrinam , & ubique profeſſi ſunt . Huc pertinent expiationes a culpis omnibus , quas Etruſci in vita , in morte , & poſt mortem ſibi , & ſuis procurabant . Quid enim viventes initiari Bacchicis , quod ſolemniſſimum habebant , & multiplicare lavacra in flumine vivo , & praeſertim in mare , ſeſeque februis , ſuffumigiis , taeda , & ſulphure , & ovis ſeſe purgare in hoc ſaeculo , niſi gravius ſupplicium animae ſuperſtiti imminere reputarent ? Funerum adparatus ad eamdem

dem disciplinam spectabat, praesertim vero cadaveris combustio, qua mediante, contagia praecedentis vitae absumi credebant. Ovid. Metam. IX. 263.:

Interea quodcumque fuit populabile flamma,
Mulciber abstulerat, nec cognoscenda remansit
Herculis effigies, nec quicquam ab imagine ductum
Matris habet, tantumque Jovis vestigia servat.

Liquores praeterea sanciti lactis, mellis, & sanguinis, qui animabus gratissimi ferebantur, veluti quae amisserunt, recuperarent, iterumque repetita quotannis anniversario die sacrificia animam subsistere confirmabant; demum expiationes illae, quae ipsis animabus corpore solutis imminere credebant, hanc veritatem apud Etruscos constantem confirmabant, longa praesertim per Oceanum peregrinatio, cujus aquae delendorum criminum virtutem maximam tribuebant. Quippe quae vulgo credebatur infinitorum pene Numinum domicilium, simulque alimentum, tam multiplici divinitate consecratum; sapientes vero credebant, diuturnam hanc jactationem per undas esse temporarium supplicium ad minora crimina diluenda. Haec omnia longo ordine monumentorum Etruscorum suo loco ad evidentiam usque confirmabimus. Sed omnem tollit ambiguitatem locus Arnobii lib. II. adversus Gentes: *Neque illud obrepat, aut vobis aeria spe blandiatur, quod a sciolis nonnullis, & plurimum sibi adrogantibus dicitur, Deo esse se gnatos, nec fati obnoxios legibus, si vitam restrictius egerint, aulam sibi ejus patere, ac post hominis functionem, prohibente se nullo, tamquam in sedem referri Patriam; neque, quod Magi spondent, commendaticias habere se preces, quibus emollitae, nescio quae Potestates vias faciles praebeant ad Caelum contendentibus subvolare, neque quod Etruria Libris in Acheronticis pollicetur certorum animalium sanguine Numinibus certis dato, divinas animas fieri, & a legibus mortalitatis educi. Blandimenta haec cassa sunt, & inanium fomenta votorum.* Ipse quoque Mercurius Thuscus, de quo plura paullo ante praemisimus, & cujus imagines ex pictis Vasculis producturi sumus, argumentum hujus veritatis subpeditat: Quin & in hoc commento traditionem illam purissimam misere obfuscatam intuemur; esse nempe Spiritum quemdam Dei ministrum, qui morientibus praesto sit, ut meritas animas in Caelum deducat, sive piacularibus flammis addicat

addicat repurgandas, aut penitus praetereat puniendas, prout, veluti lance expenſas, aut bonas invenerit, aut improbas. Inimicus enim Diabolus veritatis cum illam ſubvertere funditus non valeret, eam ſaltem fabulis corrumpere, & deflectere procuravit.

Inter tot varias, & abhorrentes opiniones in una, & eademque Natione, ſed plus nimio contemplativa, unum conligo commune omnibus, nempe firmam traditionem de immortalitate animae, cui praeparatione multa, ac adhibitis ſacrificiis divinitatem tradi poſſe reputabant, hoc eſt transferri ad gloriam, & participationem aeternae felicitatis. Haec, ni fallor, erat Arcana Philoſophia. Ceterum tres illas animas, quarum melior abſolute Caelum peteret, ut anima Herculis adſidere animae Caci, altera vero ſine remiſſione deſcenderet in Infernum, tertia cum Sandapilis circa ſepulcra verſaretur, has omnes integras reſtituo circulatoribus, &, ſi velis, etiam Haruſpicibus, qui ab interiore Philoſophia penitus exſulabant. Nec conſtans fuit apud Etruſcos diſciplina cadaverum comburendorum, cum ſaepe invenerimus mortuos integros arcis lateritiis incluſos cum Thuſca inſcriptione tegulis inciſa, quarum multas ex Agro Tuderte effoſſas videre eſt Piſauri in Muſeo Oliveriano.

CAP. XII.

Apotheoſis ab Etruſcis Philoſophis conſtanter admiſſa.

CUM unum, aeternumque Deum, ipſumque perfectiſſimum Thuſci ſapientes profiterentur, animamque hominis immortalem, par erat, ut praemia, & poenas illi pro operum meritis adſerent eidem imminere poſt mortem, nec univerſam juſtitiam in hac vita concludi. Cum vero Romani adhuc rudes, & magna ex parte ab Etruria adventitii diſciplinam omnem divinam, humanamque ex eo fonte ſuſciperent, ipſeque Romulus apud Thuſcos litteras hauſiſſet, minime dubito, doctrinam hanc imbibiſſe. Et revera Romulus, dum regnaret, divinos honores conſtituit Actæ Larentiae nutrici ſuae, Lerentalibus in ejus cultum inſtitutis, ut conligitur ex Varrone de Ling. Lat. lib. V., ipſeque Romulus inter Deos receptus eſt, cui ſucceſſit & uxor Herſilia. Ovid. Metam. XIV. in fin.:

ibi ſidus ab aethere lapſum
Decidit in terras; a cujus lumine flagrans
Herſiliae crinis cum ſidere ceſſit in auras.

Hanc

Hanc manibus notis Romanae conditor urbis
Excipit, & priscum pariter cum corpore nomen
Mutat, Oramque vocat, quae nunc Deo juncta Quirino est.

Inde vero nil frequentius audiit Roma, quam Divos novos, quorum prolixam seriem congerit Manilius Astronom. lib. I. 755., Cicero in Verrem I. 11., Asconius in Divinat., & in Verrem III., Plutarchus in Lucullo, & Appianus de Bello Mithrid; donec ad Caesares ventum est, quorum vix pauci calumniam hanc consecrationis effugerunt, quamquam initio virtutis testimonium proferrent, judicio Ciceronis in Somn. Scipionis: *Omnibus, qui Patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certus est in Caelo, & definitus locus, ubi beati aevo sempiterno fruuntur*; & de Nat. Deor. lib. II.: *Suscepit autem vita hominum, & consuetudo communis, ut beneficiis excellentes viros in Caelum fama, & voluntate tollerent*; & ad Atticum lib. XIV. epist. XV.: *Nostri illi Heroes, sed Dii futuri quidam in gloria sempiterna sunt*. Praecipue vero hanc fuisse Thuscorum disciplinam, confirmant verba Arnobii lib. II. adversus Gentes superius adducta: *Neque quod Etruria Libris in Acheronticis pollicetur certorum animalium sanguine Numinibus certis dato divinas animas fieri, & a legibus mortalitatis educi*.

Omnium vero maxime comprobant hanc illorum opinionem exempla consecrationum in Deos, quae ex illorum Picturis eruuntur, quas librorum loco superstites, atque illorum mentis interpretes conservamus; nam a Tabula CCLX. usque ad finem Tomi III. harumce Picturarum, qui post praesentem, ut praemisimus, lucem exspectat, nil aliud frequentius observabis, quam Heroum consecrationes, adeo ad vivum expressas, ut historiam integram ejusdem ritus tibi videre videaris. Plerumque in ima parte Picturae caeremoniae universae funebres observantur; in superiore vero caelestes bigae, aut quadrigae, quas vel Mercurius auriga idoneus, aut Hesperus, sive Victoria in caelum effert cum anima Herois consecrati; ut in ipsa superstitionis nebula id veritatis eruamus, Thuscos sapientes numquam vel minimum de immortalitate animae dubitasse.

CAP. XIII.

Arcana Etruscorum Philosophia transmigrationem Animarum admittere non potuit.

Quamquam Etruria, ut vulgo creditur, Pythagoream doctrinam sequeretur, ambiguo adhuc judicio

dicio Thuſca ne, an Graeca origine Auctor prodierit, immo an Etruſci ab ipſo, ſive ipſe ab Etruſcis imbiberit diſciplinam, numquam tamen inducar, ut credam, ſelectiorem hujus Nationis Scholam tranſmigrationem animarum admiſiſſe, quam Ariſtoteles lib. I. de anima Πυθαγορικοῦς μύθους *Pythagoricas Fabulas* jure merito definivit. Non enim qui tam bene de Deo, atque anima ſentiebant, in hujuſmodi abſurdum incidiſſent doctrinae ſuae penitus repugnans.

Enim vero Mundum aliquando interiturum adfirmabant, ut ex teſtimonio cujuſdam Etruſci Scriptoris refert Suidas in voce τυῤῥήνια, de quo infra fuſius agendum erit Capite XIX., quam ſententiam inde ſuſceperunt Romani, ut patet ex Cicerone de Natur. Deor. II., ex Ovid. Metam. I. 256., & ex Seneca Conſolat. ad Marciam, & Natural. Quaeſtion. lib. III. 28. Pythagoras vero, quamquam Mundum corruptioni obnoxium crederet, quia corporeum, ὀυ μὲν φθαρησόμενόν γε, προνοίᾳ, καὶ συνοχῇ θεοῦ, *non tamen periturum* (adfirmabat) *providentia eum, & Deo continente*, ut refert Plutarchus de Placit. Philoſoph. lib. II. cap. IV. Hoc jacto fundamento, Pythagorae doctrinam in medium adferamus. Ovid. Metam. XV. 157.:

Morte carent animae, ſemperque priore relicta
Sede, novis domibus vivunt, habitantque receptae.
Ipſe ego (nam memini) Troiani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hac ſit in adverſo gravis haſta minoris Atridae;
Cognovi Clypeum laevae geſtamina noſtrae
Nuper Abanteis templo Junonis in Argis;

& Horat. Carm. I. 28:

habentque
Tartara Panthoiden, iterum Orco
Demiſſum, quamvis Clypeo Trojana refixo
Tempora teſtatus; nihil ultra
Nervos, atque cutem morti conceſſerat atrae.

Minimum quidem id fuiſſet, niſi ex ſcriptorum omnium teſtimonio, & praecipue Plutarchi, & Servii non uno in loco tradidiſſet, etiam animas malemeritas, antequam in homines reverterentur, immiſſas fuiſſe in Bruta deterioris naturae; quin etiam in inſecta, ut poenam diluerent peccatorum. Hic vero inſuperabilis in ſententia Etruſcorum inſurgit contradictio. Si Mundus aliquando cum viventibus interiturus erat, quae

quae, nam poena, nisi finalis, reprobos exspectabat, cum in bruta, aut homines transmitti non possent? Ecce igitur ex Pythagora Mundum aeternum fore, aut Deum divinae justitiae ordinem, & aequalitatem intervertere debuisse. Succedit absurdum aliud; cum enim anima hominis in vermiculos abiisset, potentias universas amittebat, ut anima esse desineret. Immo quae poena foret ista, cum diluta penitus memoria prioris vitae in Lethaeo gurgite, ignorans penitus criminum, & inscius malefactorum puniretur. Demum cur uni tantum Pythagorae indultum, ut legem communem oblivionis eludere ridiculo commento Clypei olim sui recognito in Templo Junonis Argivae? Itaque opinor sapientes nostros pariter inrisisse sententiam propriae disciplinae adeo repugnantem, multoque magis testimonium sententiae.

Maximus hic error, qui fortasse simpliciores Thuscorum invaserat, non tamen selectam Scholam, una cum altero Magni Anni, de quo infra, ex purissima sententia detortus fuit, per quam sapientiores resurrectionem corporum aliquando futuram crediderunt. Ex Graecis Phocylidem seligimus in ejus Poemate Admonitorio v. 94.:

Γαῖαν ἐπιμοιρᾶσθαι ἀταχεύτοις νεκύεσσι.
Μὴ Τύμβον Φθιμένων ἀνορύξῃς, μηδ' ἀθέατα
Δείξῃς ἠελίῳ, καὶ δαιμόνιον χόλον ὄρσῃς
Οὐ καλὸν ἁρμονίην ἀναλυέμεν ἀνθρώποιο.
Καὶ Τάχα δ' ἐκ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν-
Λείψαν' ἀποιχομένων, ὀπίσω δὲ θεοὶ τελέθονται
Ψυχαὶ γὰρ μίμνουσιν ἀκήριοι ἐν Φθιμένοισι.
Πνεῦμα γάρ ἐστι θεοῦ χρῆσις θνητοῖσι, καὶ εἰκών.
Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν, καὶ πάντες ἐς αὐτὴν.
Λυόμενοι κόνις ἐσμέν. ἀὴρ δ' ἀνὰ πνεῦμα δέδεκται.

Terram impertire insepultis cadaveribus.
Ne tumulum mortuorum refodias, neque non videnda
Soli monstres, divinamque iram provoces.
Non honestum est hominis compagem resolvere,
Et mox e terra speramus nos in lucem prodituras
Defunctorum reliquias, postea vero Dii erunt;
Animae namque manent incorruptae in mortuis,
Spiritus enim Dei est usus mortalibus, & imago.
Corpus vero ex terra habemus, & omnes in eam
Resoluti pulvis sumus, aer vero iterum spiritum recipit.

Proximior vero Etrufcis Plinius multorum in hanc doctrinam confenfum refert, quamvis ipfe diffideat. Sic enim lib. VII. 55.: *Similis & de affervandis corporibus hominum, ac revivifcendi promiffa Democrito vanitas, qui non revivifcit ipfe.* Ab hac vero rectiffima traditione perperam depravata proceffit tranfmigrationis fabella, ficuti altera Anni Magni, cum corpora caeleftia, confumata vertiginum fuarum periodo, ad priftinum locum, in quo dudum creata fuerant, revertentur, ut inde iterum eofdem producant effectus, quos curfu praecedente, ut iterum imperium Etrufcorum reftituatur, & nos iterum de illis fcribamus,

Atque item ad Trojam magnus mittetur Achilles,

ut poetice jocatus eft Virgilius v. 36. Eclog. IV., quae tota eft in hoc commento exornando, quo nihil abfurdius, arctato nempe libero hominum arbitrio, ut ea ipfa, quae olim altera aetate & voluerunt, & perpetrarunt, iterum neceffario & velint, & faciant, veluti lege fatali, quamquam de primis actionibus poenas atrociffimas luerint, iterum, iterumque fine juftitia puniendi. Longe haec aberant a penitiori Etrufcorum Philofophia, quae vim fatorum penitus diffolvebat; ut infra fuo loco probabimus, fuppliciis, & praemiis pro omnium merito adtributis.

Hanc refurrectionem Plato in Phaedro παλιγγενεσίαν, hoc eft *Regenerationem* adpellat, qua voce ufus eft Redemptor nofter apud Matthaeum cap. XIX. 28.: *In Regeneratione* (παλιγγενεσίᾳ) *cum federit Filius Hominis &c.*, ubi aperte loquitur de Refurrectione in die extrema judicii, cum eadem corpora, tamquam inftrumenta vitiorum, in partem poenae computabuntur, quod aliquo modo innotuit Plutarcho *de Facie in Orbe Lunae*, ubi animarum μιασμοὺς, id eft *inquinamenta*, ait proficifci ἀπὸ τοῦ σώματος, ὥσπερ αἰτίου πονηροῦ, *a corpore, tamquam a cauffa mala.*

CAP. XIV.

Supplicia aeterna malis imminere poft mortem, putabant Etrufci.

Sunt aliquid Manes, lethum non omnia finit,
Luridaque evictos effugit umbra rogos.

Quis enim tam excors, qui Deum effe credat, animamque morti fuperftitem flagitiorum poenas eludere, nifi quis femetipfum repugnantem, & reluctantem in errorem inducat? Audiamus Platonem in Phaedone: Οἳ δ' ἂν δόξωσι ἀνιάτως ἔχειν, διὰ τὰ μεγέθη

γέθη τα ἁμαρτημάτων, ἢ ἱεροσυλίας πολλὰς, καὶ μεγάλας, ἢ φόνους ἀδίκους, καὶ παρανόμους πολλοὺς ἐξειργασμένοι, ἢ ἄλλα ὅσα τυγχάνει ὄντα τοιαῦτα, τούτους δὲ ἡ προσήκουσα μοῖρα ῥίπτει εἰς τὸν τάρταρον, ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσιν. *Qui vero ob ſcelerum magnitudinem inſanabiles eſſe videntur, qui videlicet ſacrilegia multa, & magna, vel caedes iniquas, vel alia horum ſimilia perpetraverint, hos omnes conveniens ſors mergit in Tartarum, unde numquam egrediantur.* Idem repetit Plato ipſe in Gorgia: Πόλλων γὰρ ἀδικημάτων γέμοντα τὴν ψυχὴν εἰς ᾅδου ἀφικέσθαι, πάντων ἔσχατον κακῶν ἐστί. *Multis enim peccatis refertam animam ad inferos deſcendere, extremum omnium eſt malorum:* Et infra: Ἦν οὖν νόμος ὅδε περὶ ἀνθρώπων ἐπὶ κρόνου, καὶ ἀεὶ, καὶ νῦν ἔτι ἐστὶν ἐν θεοῖς..... τοὺς δὲ ἀδίκως, καὶ ἀθέως (τὸν βίον διελθόντα) εἰς τὸ τῆς τίσεώς τε, καὶ δίκης δεσμωτήριον, ὃ δὴ τάρταρον καλοῦσιν, ἰέναι. *Exſtabat autem lex de hominibus ſub Saturno, & ſemper, & nunc etiam exſtat apud Deos..... ut qui injuſte, impieque vixiſſent, in punitionis, juſtique ſupplicii carcerem, quem adpellant Tartarum, irent.* Conſentit Plutarchus in libello *Latenter eſſè vivendum* per haec verba: Ἡ δὲ τρίτη τῶν ἀνοσίων βεβιωκότων, καὶ παρανόμων ὁδός ἐστιν εἰς ἔρεβός τι καὶ βάραθρον ὠθοῦσα τὰς ψυχὰς,

Ἔνθεν τὸν ἄπειρον ἐρεύγονται σκότον

Βληχροὶ δνοφερᾶς νυκτὸς ποταμοί.

Tertia via eſt eorum, qui impie, & flagitioſe vixerunt, quae animas in Orcum, & voraginem detrudit,

Ubi immenſas tenebras eructant

Validi nigrae noctis fluvii.

Luculentius vero haec ſupplicia deſcribit in altero libro de his, qui ſero a Numine puniuntur. Nec adverſantur ea, quae male excidiſſe videntur Senecae, ubi Martiam conſolatur: *Nullas ſcimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia, & reos:* quae nimis blande repetit Epiſt. XXIV., & LXXXII. Quin etiam Ciceronis in id argumentum in Oratione pro Cluentio cap. 61., Tuſculan. Quaeſt. lib. I. cap. 16., de Nat. Deorum II. cap. 2., ubi fabulas tantum inferis adpictas deridet, cum ceteroquin in Tuſculanis lib. I. cap. 30. aperte dicat, animabus impiorum *devium quoddam iter eſſe ſecluſum a concilio Deorum*; & alibi: *Numquam Majores noſtri caeremonias ſepulcrorum tanta cura coluiſſent, nec violatas tam expiabili religione ſanxiſſent, niſi haeſiſſet in eorum mentibus, mortem non interitum eſſe omnia tollentem, atque delentem, ſed quamdam, quaſi migrationem, commutationemque vitae: quae in claris viris, & feminis dux in Caelum ſole-*

ret esse, in ceteris humi retineretur, & permaneret. Unde hauserint Romani tam enormem doctrinam, si vere eam tenuerunt, ignoro; nam Etrusci praeter caeremonias, quas ad criminum expiationem, ne punirentur, instituerunt, de quibus infra, multa nobis testimonia in Monumentis reliquerunt, quibus instruimur, inferna supplicia, atque ea aeterna reprobis instituisse. Quia vero mala omnia inferos cruciare credebant, quae pondere suo felicitatem beatorum coaequarent, & quae nemo mente conciperet, hinc Poetis habenae laxatae sunt, ut quidquid animo imaginarentur, impune fabulis obtruderent, ut, quo magis possent, universa tormentorum genera vulgus conciperet, nec in tanta libertate punctum adtigerunt. In hoc vero culpabiles, quod nugas hasce ita ordinaverint, ut in partem religionis insertae detestabiles animae in Deos elevarentur.

Triplici vero argumento demonstrari potest, Etruscos illos, qui puriorem Philosophiam colebant, credidisse, reproborum animas corpore functas sine expiatione poenis interminabilibus, & pro modo culparum intensis cruciari in Inferno. Primum deduco a ratione, alterum ab auctoritate, ultimum a Monumentis. Ratio validissima est, nec eluctabilis; cum enim Deum unum crederent, unumque sapientissimum, & necessario justissimum, animam vero immortalem, consequens est, scelestos homines, qui culpas suas minime diluissent, poena vel temporali, vel aeterna plectendos esse post mortem; cum enim culpa gravis nil aliud sit, nisi recessus a Deo Legum Latore, & omnimoda renunciatio beneficiis, & clementiae illius, par est, ut, veluti ex contractu inito, ab omni beneficio seclusi illud tantum sortiantur, quod extra Deum est, aeternum supplicium. In hanc sententiam convenere Philosophi, qui de animae immortalitate non dubitarunt, quorum sententias recenset pietate, & doctrina Cl. Steuchius de Perenni Philosophia lib. X. cap. 21., & sequentibus.

Auctoritas mirum in modum adserit hanc sententiam Etruscis, qui, ut terrorem tam atrocis supplicii ingererent suis, non alibi, quam in proprio solo fauces hujus Barathri constituerunt, ubi natura loci aptior visa est ad hanc injuriam excipiendam, in Campania scilicet prope Cumas, quod cum non ignoraret Homerus, qui Regionem illam oculis distincte lustraverat, adhaesit Thuscae doctrinae, & aeternitati commendavit Odyss. Λ. v. 13. Hinc colligimus, jamdudum ante Trojana tem-

tempora, cum Etrusci omnia ea loca tenerent, constitutam fuisse Inferorum sedem, in qua hominum impietas mulctaretur. Consentit Hesiodus Homero coaetaneus, nisi anterior, qui in Theogonia ver. 720. Titanomachiam describens, Infernum, in quo rebelles dejecti sunt, in eodem loco conlocavit, & licet regionis nomen reticeat, quod Homerus toto citato libro graphice demonstrat, attamen conveniunt notae universae, ex quibus patet ad eumdem situm, quem Homerus indicavit, respexisse, & praesertim Insulas Liparitanas flammivomas, & montem ardentem. Exinde consentiunt universi, quotquot scripserunt, in eamdem sententiam, unde cognoscimus, doctrinam hanc primum ab Etruscis promanasse, quamquam allegoriarum libertas omnia fabulis obumbraverit.

Tertium argumentum desumitur ex Monumentis Etruscorum, & praesertim sepulcralibus, in quibus Inferorum supplicia explicantur. Haec breviter adumbrantur loco cit. ab Homero, fusius vero a Virgilio, qui nefarios homines, quos majora flagitia notiores reddidissent, adaequatis poenis addictos describit. Horum antesignanos Titanas nobis obiicit Hesiodus; nondum enim, dum Dii germinarent, omnes supervenerant, qui praemium, aut poenam in se concitarent, sed Homerus, qui posteriorem praetexit historiam, impiorum multos enumerat, Graecos tamen universos. Hos saepe nobis exprimunt Etruscorum Sculpturae, non quia Inferni notitiam a Graecis desumpserint, sed ut haberent, quos in Tartaro conlocarent sine detrimento propriae Nationis, quae religiosior ea hominum monstra numquam protulerit.

Poenas vero inexspiabilium criminum aeternas esse crediderunt Etrusci, qui perpetuis suppliciis hominum pessimos condemnatos fuisse reputabant. Hos inter Salmoneum, Tityum, Ixionem, Tantalum, & Theseum, quem aeternae sedi defixum opinabantur, jure adcensemus. Testem profero Etruscam Pateram Etruscis characteribus insignitam, quae in Museo Bononiensis nostri Instituti adservatur, in qua Theseus serpentis nexibus sedi vinctus conspicitur, Hercule adveniente. Mentem Etruscorum Artificum de proximo explicavit Virgilius Aeneid. VI. 618.:

sedet, aeternumque sedebit
Infelix Theseus;

ubi poenarum aeternitatem manifestissime adseruit. Et quamquam ab Hercule ea vice fuerit solutus (utar Servii sententia) *eum* tamen *ita abstraxit, ut illic corporis ejus relinqueret*

queret partem: ſeu potius, ut notat Cerdanus, abſtraxit viventem; ſed Virgilius loquitur de Theſeo jam mortuo, & propriae poenae in aeternum reſtituto. Hoc uno loquaci teſtimonio pro multis intelligimus, ſupplicia Inferni juxta mentem Etruſcorum fuiſſe perpetua. Idem Virgilius ab ejuſdem Populi doctrina mutuatus eſt Gorgones, Harpyias, Hydras, Centauros, Scyllas, Chimaeram, atque Titanes aeterno ſupplicio addictos. Ibid. 286.:

Centauri in foribus ſtabulant, Scyllaeque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua lernae
Horrendum ſtridens, flammiſque armata Chimaera,
Gorgones, Harpyiaeque, & forma tricorporis umbrae;

& rurſus v. 574.:

Cernis, cuſtodia qualis
Veſtibulo ſedeat? facies quae limina ſervet?
Quinquaginta atris immanis biatibus Hydra
Saevior intus habet ſedem;

& ſupra v. 400. de Cerbero:

Licet ingens janitor antro
Aeternum latrans exangues terreat umbras;

ubi poenarum aeternitatem manifeſte confirmat. Horum vero monſtrorum formas remotiſſimae antiquitatis paſſim invenias in Etruſcorum Monumentis apud Dempſterium, Gorium, & in meis lucubratiunculis. Non negamus, haec & Graecis fuiſſe communia, licet admodum raro obcurrant in eorum Nummis aetate poſterioribus. Noſter vero Maro ea conlocavit in Barathro, quod ad terrorem impiorum in proprio ſolo conſtituerunt Etruſci, cum Graecia flagitiis redundans, & more latronum vivens nullam aeterni ſupplicii imaginem mente conceperit, niſi poſt Homerum, aut Heſiodum, qui illud primi a nobis agnoverunt.

CAP. XV.

Etruſcorum traditio circa poenas leviorum criminum.

AT non omnes culpae ſupplicium aeternum incurrere arbitrati ſunt ſapientes Etruſci, quin leviores temporaria tantum poena diluerentur; Adeo invaluerat ſententia, neminem vel leviter inquinatum beatitudinem, quaecumque ea putaretur, poſſe adipiſci. Firmiter igitur credebant, minora crimina vel expianda eſſe in hac vita voluntariis caſtigationibus, vel poſt mortem ad tempus ſtatutum mulctanda. Quid magis conſonum rationi poterat cogitari? Eam nobis doctrinam pandit Virgilius, quam ex Etruſca diſci-

disciplina didicerat, ut infra demonstrabimus. In primis locum purgationis inter Inferos constituit, sed distinctum a Tartaro, ut Aeneid. VI. 720. Deinde prosequitur:

Quin & supremo cum limine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeae excedunt pestes: penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliae panduntur inanes
Suspensae ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patimur Manes: exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci laeta arva tenemus:

Atque ibi Servius ad 740.: *Supplicia expendunt: Ideo agunt supplicia, non ut animas puniant, sed ut eas peccatis exuant pristinis.* Hanc sententiam fovet inter Ethnicos Plutarchus, si tamen Ethnicus dici potest, qui tam recte de Deo, & anima sensit. Hinc in libro *de his, qui sero a Numine puniuntur*, visionem de Inferni poenis referens haec ait:

Ἄλλη δὲ ἄλλη τιμωρία τριῶν οὐσῶν φύλακι, καὶ χειρουργῷ προσήκει. Τοὺς μὲν γὰρ εὐθὺς ἐν σώματι καὶ διὰ σωμάτων κολαζομένους, μεταχειρίζεται ποινὴ ταχεῖα, πράῳ τινὶ τρόπῳ καὶ παραλείποντι πολλὰ τῶν καθαρμοῦ δεομένων. *Porro alios aliter puniri & ipsam* (Adrasteam) *tria suppliciorum genera tueri, atque exsequi. Quosdam enim* (*ajebat*) *statim in corpore, & per corpora plectendos poena velox arripit miti quadam ratione, & quae multa omittat expiationis indigentia.*

Ex Etruria vero haec de Inferis doctrina emanavit, in quo testem profero Martianum Capellam lib. II. Philolog., ubi introducit Philologiam gratias agentem Athanasiae, quod illam in Caelum introduxerit recta via, praetermissis purgationibus, quae apud Plutonem, & Proserpinam ceteris necessaria erant, haec inquiens: *Quod nec Vedium cum uxore conspexerit, sicut suadebat ETRURIA, nec Eumenidas, ac Chaldaea miracula formidarit, nec igne usserit, nec Lympha subluerit, nec animae simulacrum Syri cujusdam dogmate verberarit.* Vedius vero non alter est, quam Pluto, ut declarat Gyraldius Syntagm. II. in *Vejovis*, & Syntag. VI. in *Vedius*. Ecce nunc hujus antiqui Scriptoris testimonio firmatur, totam hanc disciplinam ab Etruscis promanasse.

Virgi-

Virgilius vero, qui doctrinam hanc diligentius, ut occasio exigebat, pertractavit, quatuor omnino elementis adtribuit purgationem, ut, qui ex totidem elementis hominem constare credebat, unumquodque partem suam repurgaret, loc. cit. 739.:

Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliae panduntur inanes
Suspensae ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patimur Manes: exinde per amplum
Mittimur Elysium.

En tria purgamenta, quartum vero terrae aerumnosae, & curis refertissimae locus ipse subpeditat, nempe Infernus; & re vera Aeneas, licet in templo Sibyllae expiatus sacrificiis, attamen Elysii sedem intraturus, ut omnino absolutus videretur, aqua iterum se purgat vers. 635.:

Occupat Aeneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua.

Sed nemo melius praecedentem Virgilii locum de tribus purgationibus interpretatus est Divo Augustino de Civitate Dei lib. XXI. cap. 11., ubi recitatis Poetae versibus haec subdit: *Qui hoc opinantur, nullas poenas, nisi purgatorias, volunt esse post mortem, ut quoniam terris superiora sunt elementa, aqua, aer, ignis, ex aliquo istorum mundetur per expiatorias poenas, quod terrena contagione contractum est. Aer quippe accipitur in eo, quod ait* suspensae ad ventos; *aqua in eo, quod ait* sub gurgite vasto; *ignis autem suo nomine expressus est, cum dixit* aut exuritur igni.... *Ceterae omnes poenae, sive temporariae, sive sempiternae, sicut unusquisque Divina providentia tractandus est.*

Has vero purgationes, quae mortem sequebantur, ab Etruscis propalatas fuisse, docent exempla plurima, quae in illorum Monumentis observamus; illam praesertim per aquam Maris, cum passim videamus in illorum Urnis animas mortuorum a piscibus, & monstris marinis per Oceanum deferri ad beatas Insulas, ut dilutae ab omni labe tandem aeterna pace fruerentur, ut diximus in Dissertatione *De Trasnvectione Animarum*, *Musei Etrus. Tom. III.* Enim vero in aqua Marina aliquid supernaturalis virtutis inesse credebant, veluti in Deorum habitaculo, quemadmodum in fontibus, & in flumine vivo, quibus Dii locales, seu Genii custodes esse reputabant. Sed haec inventa Sculptorum, & Poetarum adumbrabant quidem sinceram illam superiorum sapien-

ſapientum traditionem, ut res ab omni ſenſu remota viſibilibus figuris exprimeretur, ita tamen, ut ſinceram doctrinam in nucleo continerent.

Dilatato progreſſu temporis errore, ut veritas obvelata figuris ſenſim declinaret in ſuperſtitionem, adinventa ſunt quaedam purgamenta animarum, per quae ſupplicia mortuis debita viventes eluderent. Igitur inſtituerunt caeremonias aliquas, quae analogiam cum praefatis poenis haberent, nempe luſtrationem per taedam, & ſulphur, ventilationem, & lavacra, quae tribus elementis reſpondent, quam doctrinam exponit Servius Aeneid. II. 116.: *Sciendum in ſacris ſimulata pro veris accipi, unde quum de animalibus, quae difficile inveniuntur, eſt ſacrificandum, de pane, vel cera fiunt, & pro veris accipiuntur*; & rurſus Aeneid. III. 370.: *In ratione ſacrorum par eſt animae, & corporis cauſſa; nam plerumque, quae non poſſunt circa animam fieri, fiunt circa corpus, ut ſolvere, vel ligare, quo poſſit anima, quae per ſe non poteſt, ex cognatione ſentire*. Potentiſſima vero ad hunc finem cenſebantur Initia, quae plurima fuerunt ſuperſtitioſiſſime adiventa; nam praeter ea, quae fuerunt Magnae Matris, Mithrae, ac praeter Eleuſinia, & Orgia, quae frequentiſſima erant, Urbes plurimae peculiaria ſibi inſtituerunt, ut conligimus ex Pauſania. Apud Etruſcos vero nulla alia praeter Bacchi myſteria admiſſa fuiſſe, adhuc cognovi, ſed haec plurima, & popularia, quibus non modo quaevis ſcelera admiſſa purgari poſſe credebant, ſed ea etiam, quae in myſteriorum exercitio patrabantur, & erant frequentiſſima, minime imputari, ut impie docet Jamblichus de Myſteriis cap. XXII., cui titulus: *Inſpiratus vacat ab actione propria, ac Deum habet pro anima*. Hucuſque proceſſit inſania, quam aliquando reſtauratam fuiſſe condolemus in Haereſi, quam vocabant *Orationem Quietis*.

Quoad expiationes, quae per Bacchica myſteria obtineri putabantur, exempla plurima ubique obcurrunt in noſtris hiſce Picturis, & in iis, quas libro ſequente in ſeriem redactas exhibere conſtituimus; nam plurima adhuc ignota circa univerſos ritus elucidabimus. Hanc vero diluendorum criminum rationem, quae ad arcanam Philoſophiam non pertinent, a Sapientioribus penitus exſulaſſe non dubito; ſiquidem qui Deum unicum colerent, haec ſubſidia a Diis, quos rejiciebant, numquam excepiſſent, ut diſciplinam hanc Orgiorum omnino popularem fuiſſe cre-

credam. Certas vero voluntarias poenas, quas ſibi conſcii minorum criminum praeſumpſiſſent, omnino admiſerunt. Teſtimonium profero ex Tabula LXXXVIII. apud Dempſterium, in qua Picturae in ſepulcro Cornetano obſervatae referuntur. Videas in illis tres virorum imagines nudas in altum ſuſpenſas ex brachiis, ut quamdam turturae imaginem referant, quod primum ſupplicium ad Ventilationem pertinet. Miniſtri ſuccincti facibus illos circumſtant, alii uncos quoſdam gerunt pluribus alveolis inſtructos, in quibus plura ſulphuris ſuffumigia conſiſtere poterant, ut uno, eodemque tempore univerſi corporis ſenſus fumo inficerentur, unus vero ex Miniſtris, veluti geminas ſitulas obfert ad adſperſiones miniſtrandas. Hanc diſciplinam adfligendi corporis facile ex traditione hauſerunt Etruſci, quorum Patres maximis calamitatibus a Deo mulctatos fuiſſe pro peccatis, diſſimulare non poterant.

C A P. X V I.

Quae fuerit ſententia Etruſcorum circa Fatum.

Magnum Fatorum nomen apud antiquos, ut in illorum comparatione longo poteſtatis intervallo Dii omnes vincerentur. Quid vero eſſent haec Fata, nec hi, qui ea praedicarent, intelligebant; modo Deos ipſos adſerentes, frequentius vero aliquid longe diſſitum non ſine multiplici contradictione, ut vix adſequamur intellexiſſe ſub hoc titulo quamdam *neceſſitatem* rerum ſequendarum, ſive legem quamdam naturae, cujus ſedem penitus ignorabant. Jovem enim, quem ubique jactabant Omnipotentem, Fatis ſubditum profitebantur. Servius Aeneid. X. 8.: *Alia eſt neceſſitas Fati, alia voluntas Deorum.* Manifeſtius Cicero de Divinat. lib. I. 10.: *Hoc ſentit Homerus, cum querentem Jovem inducit, quod Sarpedonem filium a morte eripere non poſſet.* Locum Homeri tranſcribimus ex Iliad. II. 431.:

Τὸν δὲ ἰδὼν ἐλέησε Κρόνου πᾶις ἀγκυλομήτεω,
Ἥρην δὲ προσέειπε κασιγνήτην, ἀλοχόντε
Ὤμοι ἐγὼν, ὅτε μοὶ Σαρπηδόνα φίλτατον ἀνδρῶν
Μοῖρ᾽ ὑπὸ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο δαμῆναι.
Διχθὰ δέ μοι κραδίη μέμονε φρεσὶν, ὁρμαίνοντι
Ἤμιν ζωὸν ἐόντα μάχης ἄπο δακρυοέσσης
Θείω ἀναρπάξας Λυκίης ἐνὶ πίονε δήμῳ,
Ἢ ἤδη ὑπὸ χερσὶ Μενοιτιάδαο δαμάσσω.
Τὸν δ᾽ ἠμείβετ᾽ ἔπειτα βοῶπις πότνια Ἥρη,

Ἀενό-

Α'ενότατε Κρονίδη, ποῖον τὸν μῦθον ἔειπες;
Α'νδρα θνητὸν ἐόντα πάλαι πεπρωμένον αἴσῃ
Α'ψ ἐθέλεις θανάτοιο δυσηχέος ἐξαναλῦσαι;
Ε'ρδ'. ἀτὰρ ὄυτοι πάντες ἐπαινέομεν θεοὶ ἄλλοι.
Α'λλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν.
Α'ικε ζωὸν πέμψης Σαρπηδόνα ὅνδε δόμονδε,
Φράζεο μήτις ἔπειτα θεῶν ἐθέλῃσι καὶ ἄλλος
Πέμπειν ὃν φίλον υἱὸν ἀπὸ κρατερῆς ὑσμίνης.

Hunc autem intuitus miseratus est Saturni filius versuti,
Junonem autem adlocutus est sororem, uxoremque.
Hei mihi, quando mihi Sarpedonem carissimum virorum
Fatum est a Patroclo Menoetiade interfici.
Bifariam autem mihi cor deliberat mentibus cogitandi,
An ipsum vivum exsistentem pugna a lacrymosa
Conlocem raptum Lyciae in divite populo,
An jam sub manibus Menoetiade domabo.
Huic autem respondit deinde oculis decora veneranda Juno:
Molestissime Saturnie, quale verbum dixisti?
Virum mortalem exsistentem diu destinatum Fato
Iterum vis a morte tristi liberare?
Fac; tamen non te omnes adprobabimus Dii alii.
Illud autem tibi dicam, tu vero in mentibus pone tuis;
Si vivum miseris Sarpedonem suam ad domum,
Considera, ne quis postea Deorum velit, & alius
Mittere suum dilectum filium e forti pugna.

Textum prolixiorem adduximus, quod manifestissimum agnovimus ad Graecorum mentem explicandam. Idem Virgilius Aeneid. V. 376. de Fatorum indissolubilitate:

Desine Fata Deûm flecti sperare precando.

Sed longe humanius sensere Etrusci, qui cum Deum omnino unum esse crederent, nihil penitus ab illo diviserunt, cum alterum, in quo illius adtributa conlocarent, non invenissent. Seneca Quaest. Natur. lib. II. cap. 45.: *Vis illum Fatum vocare, non errabis..... idem Etruscis quoque visum est*; & de Benef. lib. IV. cap. 7.: *Eumdem & Fatum si dixeris, non mentieris*; nam eo loco Philosophus ab Etruscis eruditus totus est in restituendis Deo adtributis, quae impie ab illo sejuncta fuerant. Cum enim Fatum nihil sit,

 nisi

nisi placitum divinae mentis, ab illa numquam poterat segregari, quemadmodum nec ab anima sejungi possunt potentiae, atque illorum operationes.

Quo vero ad Fati mutabilitatem, quam Stoici penitus negabant, ut colligitur ex Servio Aeneid. I. 26.: *Dogma Stoicorum ostendit, nulla ratione posse Fata mutari*: diversimode senserunt Etrusci, & qui illorum sententiam amplexi sunt. Apulejus Metam. I.: *Quod si sedulis obsequiis, & religiosis ministeriis, & tenacibus castimoniis Numen nostrum promerueris, scias, ultra statuta Fato tuo spatia, vitam quoque tibi prorogare mihi tantum licere*. Idemque Servius Aeneid. VIII. 398.: *Sed sciendum est, secundum haruspicinae libros, & sacra Acherontia, quae Tages composuisse dicitur, Fata decem annis quadam ratione differri; nam Fata differuntur tantum, numquam penitus immutantur; unde Virgilius*:

Nec Pater omnipotens Trojam, nec Fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos;

In qua doctrina mihi videor videre Etruscos regulam sibi universalem constituisse ex celeberrimo, sed tamen singulari exemplo Regis Ezechiae, ad cujus morientis preces vita ad decennium prorogata est, conversa retrorsum umbra horologii decem lineis.

Utcumque sit, video Etruscos circa Fatorum mutabilitatem recte sensisse, agnoscendo in Deo absolutam voluntatem, & conditionatam: Absolutam in his, quae naturae ordinem respiciunt, aut grande aliquod objectum ab ejus providentia praescriptum, ut mutationem Regnorum, quo conlimant apud Virgilium fata illa immutabilia, quae ad constitutionem Romani Imperii pertinebant, de qua firmitate videndus Seneca Nat. Quaest. II. cap. 35. Conditionata vero voluntas ut impleatur, conditionis implementum exspectat non semper ex parte hominis adveniens, unde exitum aut differt, aut submovet, ut in Regis Saul reprobatione clare cognoscimus, Reg. I. 13. 13.: *Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui. Quod si non fecisses, jam nunc praeparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum*. Improprie tamen dicimus fata, hoc est Dei voluntatem mutari, nam in Deo rerum hamanarum moderatore actus voluntatis, & intellectus simul concurrunt, nempe futuri praescientia, qua ab aeterno cognovit, an conditiones decreto adjectae ad effectum nec ne ex parte hominis sint deducturae. Idem sensit & Seneca,

neca, qui lib. II. Quaeſt. Nat. cap. 37. de fulminum ſignificatione ex libris Etruſcorum adcurate diſputans haec tradit: *Cum illius divinitati omne praeſens ſit.... Quaedam a Diis immortalibus ita ſuſpenſa relicta ſunt, ut in bonum vertant, ſi admotae Diis preces fuerint, ſi vota ſuſcepta. Ita non eſt hoc contra Fatum, ſed ipſum quoque in Fato eſt.* Hanc eamdem doctrinam Etruſcis clare adtribuit Cicero Orat. III. in Catilinam cap. 8., ubi prodigia illa connumerat, quae Reipublicae ruinam ſuo tempore minabantur. *Quo quidem tempore cum Haruſpices ex tota Etruria conveniſſent, caedes, atque incendia, & legum interitum, & bellum civile, ac domeſticum, & totius Urbis, atque Imperii occaſum appropinquare dixerunt, niſi Dii immortales omni ratione placati, ſuo Numine prope Fata ipſa flexiſſent.*

CAP. XVII.

Etruſcorum Opinio circa Deos Manes, & Lares.

EX his, quae ſupra demonſtravimus, aperte liquet, Etruſcos de immortalitate animae recte ſenſiſſe, quonimmo & de retributione bonorum operum, & ſuppliciis malorum poſt mortem imminentium. Id judicium Deo reſervatum ipſi quoque honore, & obſequiis imitari conati ſunt, ut eos, quos claros meritis exceſiſſe ex hac vita cognoſcerent, pro menſura virtutis honeſtarent, immo & ad Caelum uſque deferrent. In quatuor ergo claſſes memoriam mortuorum dividebant, nempe in malos, in ambiguae conditionis, in bonos, & demum in excellentes. Hos omnes gradus officiis adaequatis pro ſingulorum merito proſequebantur; Malos, ne nocerent; Dubiae conditionis, ut piaculorum ſubſidio a culpis, quibus fortaſſe irretiti obiiſſent, exſolverentur; Bonos ad eorum felicitatem augendam; Optimos vero, quos inter Numina habebant, ut eos ſibi propitios, & Reipublicae conciliarent.

Hujus diviſionis teſtimonia maniſeſtiſſima conligimus ab antiquis Scriptoribus, qui doctrinam hanc, ut demonſtrabimus, ab Etruſcis deſumpſerunt. Malorum animas, & tartaro addictas credebant, permiſſa tantum facultate nocendi viventibus; ſeu potius crederent, praeter animam, adhaeſiſſe corpori umbram illius prioris indolis maleficae tenaciſſimam, quae cuncta vexaret. Has Lemures vocabant, ſeu Larvas, utrumque Etruſco nomine, quae terrifico quodam adſpectu, & incurſionibus familias infeſtabant. Lemures

ab

ab umbra Remi dicti sunt, Larvae, corrupto nomine, a *Lar*, & *Ve*, hoc est Lar malus; nam *Ve* malum significat, ut *Vedius*, hoc est malus Juppiter, nempe Pluto; quae voces ab unica tunc in hac Italiae parte Etrusca lingua defluxerunt. Nonius lib. II. 513.: *Lemures, Larvae nocturnae, & terrificationes imaginum, & bestiarum.* Id supplicium passus est Romulus, fratre Remo enecato, cujus umbrae occursu ipse, & nutritores sui vexabantur. Ovidius Fast. V. v. 450.:

Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras,
Et male veloci justa soluta Remo,
. . . .
Umbra cruenta Remi visa est assistere lecto,
Atque haec exiguo murmure verba loqui &c.
Romulus obsequitur, lucemque Remuria dixit.

Hoc vero solemne sacrum in primaevo illo Urbis schemate alio ritu institui non potuit, quam Etrusco omnia tunc occupante. Favet huic distinctioni auctoritas Divi Augustini de Civit. Dei lib. IX. capit. IX.: *Lares, si meriti boni sint; Lemures, seu Larvae, si mali.* Jocosa vero erat caeremonia, qua ea terriculamenta avertebantur. Varro de Vit. Pop. Rom. I.: *Quibus temporibus in sacris fabam jactant noctu, ac dicunt, se Lemures domo extra januam ejicere.* Formulam diligenter recitat Ovidius loco citat. vers. 418.:

Nox ubi jam media est, somnoque silentia praebet,
Et canis, & variae conticuistis aves,
Ille memor ritus veteris, timidusque Deorum
Surgit; habent gemini vincula nulla pedes.
Signa, quae dat digitis medio cum pollice junctis,
Occurrat tacito ne levis umbra sibi,
Terque manus puras fontana perluit unda,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.
Aversusque jacit; sed cum jacit, haec ego mitto,
His, inquit, redimo meque, meosque fabis.
Haec novies dicit, nec respicit; umbra putatur
Colligere, & nullo terga vidente sequi.
Rursus aquam tangit, Temesaeaque concrepat aera,
Et rogat, ut tectis exeat umbra suis.

Alia quoque ratione Lemurum incur-

incurſus avertebant, nempe ſuſpendendo prae foribus imagunculas virorum, & mulierum ex Lana, aut Pilas ex eadem materia. Feſtus in Superſtitibus ſchedis: *Pilae, & viriles, & muliebres effigies in compitis ſuſpendebantur in Compitalibus, ex lana, quod eſſe Deorum Inferorum hunc diem feſtum, quos vocant Lares, putarent, quibus eo die tot Pilae, quot eſſent capita ſervorum, tot effigies, quot eſſent liberi, ponebantur, ut vivis, ſic enim invocantur, parcerent, & eſſent his Pilis, & ſimulacris contenti.* Exinde ſubſtituerunt pro Pilis laneis marinas Pilas, ſeu globulos, ex minutiſſimis radicum filamentis compactos aeſtu maris ad littus rejectos, qui in ora Etruſca frequentes ſunt, rariores in littore Piſaurenſi. Nonius in Strophium: *Suſpendit Laribus marinas, molles pilas, & reticula, & ſtrophia.* Id vero genus ſpirituum adeo malum eſſe putabant, ut, dum placarentur, templa Deorum clauſa ſervarentur ab illorum injuriis. Ovidius loc. cit. verſ. 484.:

Fana tamen veteres illis clauſere diebus,
Ut nunc ferali tempore operta vides.

Hanc caeremoniam tuto adtribuimus Etruſcis pro noſtro inſtituto, ex quo multa hujuſmodi teſtimonia deſumimus ex illorum Picturis, & praeſertim ex illis ad Compitalia pertinentibus. Huc referuntur ſpectra quaedam ex caetu Lemurum, quae refert Martianus Capella, nempe Larvae, Maniae, Mana, Manturna, Aquilia, Furia, Furina, quae linguam Etruſcam ſonant.

Gradum ulteriorem occupabant animae conditionis incertae, de quibus ambigebatur, inter bonas ne, an inter malas eſſent computandae, quarum numerus fuit ſemper ampliſſimus. De hac claſſe mentionem paſſim nobis objiciunt Scriptores. In primis in libro IX. de Civ. Dei cap. IX. D. Auguſtinus ex ſententia Platonicorum: *Dicit quidem & animas hominum daemones, & ex hominibus fieri Lares, ſi meriti boni ſint; Lemures, ſeu Larvas, ſi mali. Manes autem Deos dici, cum incertum eſt, bonorum eos, ſeu malorum eſſe meritorum.* Hanc etiam diſtinctionem confirmat Apulejus de Deo Socratis: *Cum vero incertum eſt, quae cuique eorum ſortitio evenerit, utrum Lar ſit, an Larva, nomine Manium Deum nuncupant, & honoris gratia Dei vocabulum additum eſt.* Manium igitur adpellatio communis erat, & arbitraria, quae paſſim unicuique a poſteris, & heredibus tribui ſolebat defun-

defunctis; nec enim vox ista aliud designabat, quam Bonos, ac propterea universorum suffragiorum meritissimos; quae describit Ovidius Fast. II. 532.:

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extinctas munera ferre pyras.
Parva petunt Manes, pietas pro divite grata est
Munere, non avidos Styx habet ima Deos.
Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsae fruges, parcaque mica salis:
Inque mero mollita Ceres, violaeque solutae,
Haec habet media testa relicta via.
Nec majora veto; sed & his placabilis umbra est.
Adde preces positis & sua verba focis.

Vanis hisce oblationibus a vulgo frequentatis, & quae sapientiores ubique deriserunt, adcessere victimae, & plurima sanguinis circa tumulum effusio, sed vereor, ne aliquid deterius supestitione lateret in hac liberalitate erga defunctos, nempe occultum aliquod principium Necromantiae, qua mortuorum Manes ad sepulcra adcersebantur, ut conligitur ex Euripide in Hecuba v. 536., ubi Pyrrhus Polyxenae sanguinem libaturus ad Achillis sepulcrum ita fatur:

Δέξαι χοάς μου τὰς δε κηλητηρίους,
Νεκρῶν ἀγωγούς. ἐλθὲ δ' ὡς πίῃς μέλαν
Κόρης ἀκραιφνὲς αἷμ', ὅ σοι δωρούμεθα
Στρατόςτε, κἀγώ.

Accipe libationes meas hasce propitiabiles,
Mortuos elicientes; veni vero, ut bibas nigrum
Puellae illibatum sanguinem, quem tibi damus
Exercitusque, & ego.

Sacrilegum id exercitium etiam ante diluvium a Daemone institutum fuisse, suspicor, quando *universa caro corruperat viam suam*, cum notabile sit, primum praeceptum a Deo injunctum fuisse generi humano in filiis Noe Genes. IX. 3.: *Excepto, quod carnem cum sanguine non commedetis*; quod plerumque a Patribus exponitur, ut homines eum conciperent horrorem adversus sanguinem, ut ab universo abusu, qui ex eo fieri posset, omnino abstinerent. Et re vera hoc mandato pessumdato, Cham unus ex istius Patriarchae Filiis primus omnium post diluvium, teste Philone in libro Antiquit., Necromantiam in Aegypto instituit. At longe alio sensu Etrusci sanguinem infundebant sepul-

pulcris, quodam conatu inanissimae pietatis in mortuos, ut quod maxime optassent, recuperarent. Verior tamen conjectura suadet, id genus sacrificii non ad mortuos dirigi, tamquam ad Deos, sed ad Mortem, quam inter Infernas potestates maximae auctoritatis verebantur; nam Virgilius, qui lingua Sacrorum utebatur, id sacrificium non mortuis, sed Morti obferri testatus est loc. cit. lib. XI.: v. 197.

Multa boum circa mactantur corpora Morti,
Setigerosque sues, raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes;

ex quo manifeste conjicitur, has hostias expiatorias fuisse, ut mortuis levamen aliquod conciliarent. Mortem, veluti Numen, placandam esse reputabant, haud levi testimonio Orphei, qui illam in ejus Hymno suffimento mannae demulcendam esse praescribit, deque illius auctoritate, tamquam Dea, meminit Pausanias in Lacon., & rursus in Eliacis, ubi eam Noctis filiam esse tradit. Nec bruta tantum animalia mactabant in funeribus, verum etiam, quod acceptius Morti putaretur, Virorum praestantiores. Sic apud Homerum Iliad. Ψ. v. 22. inducitur Achilles promittens ob Patroclum interfectum,

Δώδεκα δὲ προπάροιθε πυρῆς ἀποδειροτομήσειν
Τρώων ἀγλαὰ τέκνα.

Duodecim vero e conspectu rogi obtruncaturum
Trojanorum nobiles filios.

Sic etiam apud Q. Smyrnaeum in Paralipom. Γ. 676.:

Ἀμφὶ δὲ τεύχεα πολλὰ πυρὶ περινηήσαντο
Αἰζηῶν κταμένων. πολλοὺς δέ ἐφύπερθε βάλοντο
Τρώων δῃώσαντες ὁμῶς περικαλλέας υἷας.

Arma ergo plurima rogo accumulant
Interfectorum Juvenum; nec paucos super injiciunt
Una Troum forma insignes natos, quos obtruncaverant.

Ratio hujus impietatis ea fuerat, quod victimas hasce crederent non mortuo, sed Morti fore gratissimas. Arcanum explicat Statius Thebaid.:

Stygiis emissa tenebris
Mors fruitur Caelo, bellatoremque volando
Campum operit, nigroque viros invitat hiatu,
Nil vulgare legens, sed quae dignissima vita
Funera, praecipuos annis, animisque cruento
Angue notat.

Huc refero gladiatorum dira spe-

ctacula ab Etrufcis introducta in funeribus, atque exinde propagata ad Romanos, ut voluntario fanguine Mors emolliretur, ut quem fibi rapuerat, meliori faltem in fede conlocaret. In notis vero ad Tabulam primam Tomi III. Picturarum Etrufcarum conjecturam noftram produximus, Mortem eamdem effe, ac Proferpinam univerfae fubterraneae poteftatis arbitram, & acerbam fedium difpenfatricem.

Praecipuum vero honoris gradum obtinuerunt defuncti, qui, potiffimo aliquo in Rempublicam beneficio, totius populi confenfu, & folemni judicio Divorum fedibus inferebantur, & facra, veluti fibi debita, non in alios transferebant, ut Manes, fed proprio nomine accipiebant. Differentiam hanc inter facrificia Deorum, aut Heroum, qui communi fuffragio confecrati effent, & inferias mortuorum, qui privato aufpicio inter bonos computarentur, depromo ex Apollodoro Biblioth. lib. II. cap. V., ubi Molorchi adparatum in adventu Herculis defcribit: Ξενίζεται παρὰ ἀνδρὶ χερνήτῃ Μολόρχῳ. καὶ θύειν ἱερεῖον θέλοντι, εἰς ἡμέραν ἔφη τηρεῖν τριακοστὴν. καὶ ἂν μὲν ἀπὸ τῆς θήρας σῶος ἐπανέλθῃ Διῒ Σωτῆρι θύειν. ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ, τό τε ὡς ἥρωι ἐναγίζειν....... Καταλαβὼν δὲ τὸν Μόλορχον, ἐν τῇ τελευταίᾳ τῶν ἡμερῶν ὡς νεκρῷ μέλλοντα τὸ ἱερεῖον ἐναγίζειν, Σωτῆρι θύσας Διῒ, ἦγεν εἰς Μυκήνας τὸν λέοντα. *Hofpitio excipitur* (Hercules) *a Molorcho Viro, qui manibus fuis victum quaerebat, & ei hoftiam immolare volenti, eam ad diem trigefimum fervare jubet; eamque fi a venatione incolumis reverteretur, Jovi Servatori mactaret; fi vero occubuiffet, fibi tum, veluti Heroi, inferias ageret...... Ubi vero extrema fui reditus die, Molorchum, ut mortuo fibi inferias daturum deprehendit, Servatori Jovi facra fecit, & leonem Mycenis intulit.* Homines vero plurimos virtutibus, & beneficiis infignes Etrufci inter Deos retulerunt, & publice coluerunt. Mitto Feminas Nortiam, Juturnam, Vacunam, Ancariam, Valentiam, Voltumnam, aliafque, quas recenfet lib. II. de Etrur. Reg. Dempfterius, & Gorius nofter Mufei Etrufci Tom. I., qui doctiffime circa id argumentum verfati funt; nam ex illarum nominibus nihil effe conjicio, nifi Dei adtributa. Sed praeterire non debeo, Vertumnum, qui cum agrorum culturam primus vel Aiano fecundus vel docuiffet, vel perfeciffet, in Etruria Deum factum effe, ut probat idem Dempfterius lib. I. cap. 15., lib. II. capit. 6., & alibi fparfim. Sic Pilumnus quoque, quod pinfendi frumenti

menti uſum in Etruriam invexiſſet, & Picumnus, ſive Stercutius, ex quo uſum ſtercorandorum invenerit agrorum, Dii facti ſunt, ut refert Divus Auguſtinus de Civitat. Dei lib. V. cap. 9., & Servius in IX. Aeneid. verſ. 4. His adcenſeo Tagetem, & Bigoem, quod haruſpicinam docuiſſent; ſententiam in id ferentibus univerſis, qui ex hac arte vel lucrum, vel auctoritatem captabant.

CAP. XVIII.

Quid ſenſerint Etruſci circa ſacrificia funebria.

EX his, quae praemiſimus, aperte conſtat, ſolertiſſimos fuiſſe Etruſcos circa cumulanda in funeribus ſacrificia, quod niſi aliunde adpareret, ex Picturis, quas Tomo ſequenti proditurі ſumus, exuberanter demonſtraremus. Id inſtitutum ſingulis quibuſve gentibus commune fuit, non tamen unica apud omnes ratione introductum; nam plerumque hic honor in animam defuncti dirigebatur, veluti quodammodo divinitatis participem, quia ex *igne caeleſti* conſtare dicebant Stoici, ut tradit Cicero de Nat. Deor. lib. III. cap. 14., vel delibatam ex mente divina cenſebant, ut ex Pythagora, & ut refert idem Cicero de Seneɑ. cap. XXI., ex qua opinione mortuorum animabus, quaecumque fuerint, quaedam divinitas tribuebatur juxta antiquam legem: *Letho datos Divos habeto*; quemadmodum tradit idem Cicero lib. II. de Legibus, & Plutarchus in Solone, ubi ait: Καὶ γὰρ ὅσιον τοὺς μεθεστῶτας, ἱεροὺς νομίζειν. *Eſt enim pium defunctos exiſtimare ſacros*. Alii nil ad mortuum haec obſequia ſpectare putabant, rati, pompam eſſe mere civilem ad Familiae munificentiam oſtentandam. Thuſci ad Deos referebant, ut defunctorum animabus propitiarentur, & delebiles maculas hiſce obſequiis diluerent; Optimum quidem conſilium, cum Deum unum agnoſcerent, & excuſabile in iis, qui, corrupta etiam religione, priſtinam doctrinam in hac parte ſervarent.

Inter officia funerum primum locum obtinebat ſepultura, ex inſita nobis ſententia, quod pulvis ſimus, & in pulverem reverſuri. Hinc etiam exorta eſt ſuperſtitio, animas numquam poſſe quieſcere, donec corpus inhumatum permaneret; unde illud apud Virgilium VI. Aeneid. 374.:

Tu Stygias inhumatus aquas, amnemque ſeverum
Eumenidum adſpicies, ripamve injuſſus abibis?

& Aeneid. XI. 23.:

Interea ſocios, inhumataque corpora terrae
Mandemus; qui ſolus honos Acheronte ſub imo eſt.

Haec vero ineptia inde ortum duxit, quod inhumati his carerent ſacrificiis, quibus animas expiari credebant; nam, ut ſupra innuimus, haec ſacra non ad mortuos dirigebantur, verum ad ea Numina, quorum judicio animabus propriae ſedes diſtribuerentur. Haec adſertio adeo vera eſt, ut vana putarentur haec ſacra pro illis, qui vitam innocentem palam tranſegiſſent, ut de Pallante adhuc adoleſcente idem Virgilius Aeneid. XI. 51.:

Nos Juvenem exanimum, & nil jam caeleſtibus ullis
Debentem, vano moeſti comitamur honore.

Haec vero parentalia ex mente Etruſcorum nihil prorſus erant, niſi ſuffragia Diis oblata pro requie, & pace defuncti. Id conligo ex luculentiſſimo alibi adducto Arnobii teſtimonio lib. II., qui illorum inſtitutionem iiſdem Etruſcis adtribuit: *Neque illud obrepat, aut ſpe vobis aeria blandiatur, quod a ſciolis nonnullis, & plurimum ſibi adrogantibus dicitur, Deo eſſe ſe gnatos, nec Fati obnoxios legibus: ſi vitam reſtrictiorem egerint, aulam ſibi ejus patere, ac poſt hominis functionem, prohibente ſe nullo, tamquam in ſedem referri patriam: neque, quod Magi ſpondent, commendaticias habere ſe preces, quibus emollitae, neſcio quae, poteſtates, vias faciles praebeant ad Caelum contendentibus ſubvolare, neque, quod ETRURIA libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium ſanguine Numinibus certis dato, divinas animas fieri, & ab legibus mortalitatis educi. Blandimenta haec caſſa ſunt, & inanium fomenta votorum.* Et rurſus: *Quid illi ſibi volunt ſecretarum artium ritus, quibus adfamini, neſcio quas poteſtates, ut ſint vobis placidae, neque ad ſedes remeantibus patrias obſtacula impeditionis apponant.* Ecce nunc mortualium ſacrificiorum oblatio non ad animas dirigi, ſed ad Deos judices animarum, ut illas placidi accipiant. Hanc vero doctrinam non induxit Aeneas in Italiam, ut ſenſit Ovidius adulator, nam Aeneas cum adpulit in Italiam, eam ibi jam introductam invenit apud Etruſcos, ceteroſque populos, qui ab illis originem jam deduxerant. Virgilius Aen. XI. 189.:

huc corpora quiſque ſuorum
More tulere Patrum, ſubjectis ignibus atris,
Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis

Decur-

Decurrere rogos.

. . . .

Multa boum circa mactantur corpora Morti,
Setigerosque sues raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes.

CAP. XIX.

Arcana Etruscorum Philosophia circa originem Mundi.

CUM multa ferveret apud antiquos de Mundi origine discordia, quod alii, qui Dei omnipotentiam non adtingerent, aeternum crederent, alii fortuito coaluisse ex informi materia, alii vero consultius scite arbitrarentur creatum, nihil erat, quod litem hanc humano ingenio definiret. Nullum subsidium exspectari poterat ab Aegyptiis, qui omnium primi rebus occultis speculandis navarunt operam, cum ea, quae adsequuti essent, fabulis portentosis obduxissent, ab ipsis quoque, qui invenissent, deridendis. Itaque divina providentia factum est, ut hanc primariam universae scientiae scholam Moyses divinitus instructus aperiret, qui ad Nationem illam, ceterasque erudiendas Genesim scriberet, ut unum omnino Deum Creatorem omnium ostenderet, & quo ordine processerit, manifestaret.

Huic traditioni, sive alteri antiquiori a patribus exceptae adhaeserunt Thusci; quippe quia de Diis fabulae, quas subinde exceperunt, longe posteriores sunt, ac eminus distant a primaeva illa populorum simplicitate, qua cum duriore vitae ratione, & laboriosa utebantur, dum otio pernicioso minime fruerentur, unde fabulae exortae sunt. Quid igitur senserint Thusci de Cosmopoeja, edisserit nobis ex veteri historia illius Nationis Suidas, quae ejus tempore adhuc supererat; nam doctus iste Grammaticus haec habet in voce Τυῤῥηνία: Ἱστορίαν δὲ παρ' αὐτοῖς ἀνὴρ ἔμπειρος συνεγράψατο. ἔφη γὰρ τὸν δημιουργὸν τῶν πάντων Θεὸν δώδεκα χιλιάδας ἐνιαυτῶν τοῖς πᾶσιν αὐτοῦ φιλομήσασθαι κτίσμασι, καὶ ταύτας διατεῖναι τοῖς ιβ. λεγομένοις οἴκοις· καὶ τῇ μὲν ά χιλιάδι ποιῆσαι τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν. τῇ δευτέρα ποιῆσαι τὸ στερέωμα τοῦτο τὸ φαινόμενον, καλέσας αὐτὸν οὐρανόν. τῇ τρίτῃ, θάλασσαν, καὶ τὰ ὕδατα τὰ ἐν τῇ γῇ πάντα. τῇ δ', τοὺς φωστῆρας τοὺς μεγάλους, ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ τοὺς ἀστέρας. τῇ έ, πᾶσαν ψυχὴν πετεινῶν, καὶ ἑρπετῶν, καὶ τετράποδα, ἐν τῷ ἀέρι, καὶ ἐν τῇ γῇ, καὶ τοῖς ὕδασι. *Apud eos* (Thuscos) *vir peritus historiam scripsit, in qua ait, Opificem rerum omnium Deum duodecim annorum millia Universi hujus creationi impendisse, resque omnes in duodecim*

decim domos ita dictas distribuisse; ac primo millenario fecisse caelum, & terram: altero fecisse firmamentum illud, quod adparet, illudque caelum vocasse: tertio mare, & aquas omnes, quae sunt in terra: quarto luminaria magna, Solem, & Lunam, & Stellas: quinto omnem animam volucrum, & reptilium, & quadrupedum in aere, terra, & aqua degentium. De sexto millenario, seu potius periodo expresse non loquitur Anonymus Thuscus, sed conligitur ex sequentibus verbis, ubi mentionem facit de creatione hominis, quam supponit perfectam ante septimum millenarium; prosequitur enim: Φαίνεται οὖν τὰς μὲν πρώτας ἓξ χιλιάδας πρὸ τῆς τοῦ ἀνθρώπου διαπλάσεως παρεληλυθέναι. τὰς δέ λοιπὰς ἓξ χιλιάδας διαμένειν τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων. ὡς εἶναι τὸν πάντα χρόνον τῆς συντελείας μέχρι χιλιάδας δώδεκα. *Videtur igitur sex primos millenarios ante formationem hominis praeteriisse; & reliquos sex millenarios duraturum esse genus hominum, ut sit universum consumationis tempus duodecim millium annorum.* Hinc conligit Amicus, quoad vixit, meus, semperque laudandus Jacobus Brukerius in Historia Critica Philosophiae, Etruscos, si tempus corrigas, consensisse cum Mosaico systemate dividente creationem in sex dies, sive periodos.

Opinio vero de sex mundi aetatibus adprime respondit communi traditioni, quae rerum creatarum durationem in totidem segmenta, sive epocas distribuit. Huic opinioni adhaesisse Etruscos, conligitur ex alio ejusdem Suidae loco in Σύλλας, ubi haec refert: Ὅτι ἐπὶ τοῦ Σύλλα τοῦ Ὑπάτου ὁ ἐμφύλιος Ῥωμαίων ἀνήφθη πόλεμος. ἐπισημῆναι δὲ τὴν τῶν μελλόντων κακῶν φορὰν Λίβιος φησι, καὶ Διόδωρος. ἐξ ἀνεφέλου τοῦ ἀέρος καὶ αἰθρίας πολλῇ ἦχον ἀκουσθῆναι σάλπιγγος, ὀξὺν ἀποτεινούσης καὶ θρηνώδη φθόγγον. καὶ τοὺς μὲν ἀκούσαντας ἅπαντας ἔκφρονας ὑπὸ δέους γενέσθαι. Τοὺς δὲ Τυῤῥηνῶν μάντεις μεταβολὴν τοῦ γένους καὶ μετακόσμησιν ἀποφήνασθαι σημαίνειν τὸ τέρας. εἶναι μὲν γὰρ ἀνθρώπων ὀκτὼ γένη, διαφέροντα τοῖς βίοις καὶ τοῖς ἤθεσιν ἀλλήλων. ἑκάστῳ δὲ ἀφωρίσθαι χρόνον ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, συμπεραινόμενον ἐνιαυτοῦ μεγάλου περιόδῳ. Τῆς γοῦν προτέρας περιόδου τελευτώσης, καὶ ἑτέρας ἐνισταμένης κινεῖσθαί τι σημεῖον ἐκ γῆς ἢ οὐρανοῦ θαυμάσιον, ὃ δῆλον εὐθὺς τοῖς τὰ τοιαῦτα σοφοῖς γίνεσθαι, ὅτι καὶ τρόποις ἄλλοις καὶ βίοις ἄνθρωποι χρώμενοι γεγόνασι, καὶ Θεοῖς ἧττον τῶν προτέρων μέλονται. *Syllae Consulis temporibus civile Romanorum bellum exarsit. Futurorum vero malorum illorum tempestatem signa quaedam praecessisse, Livius, & Diodorus tradunt. Aere enim sereno, & admodum sudo tubam auditam esse, quae acutum, & lugubrem clangorem redderet;*

deret; omnesque, qui eam audiverant, prae metu obstupuisse. Tyrrenos autem vates respondisse, prodigium illud generis humani mutationem significare. Octo enim esse hominum genera vita, & moribus inter se discrepantia; quorum unicuique certum tempus a Deo praestitutum sit, quod magni anni circuitu absolvatur. Priore igitur circuitu ad finem perducto, & altero instante, prodigium aliquod admirabile in terra, vel Caelo adparere, ex quo rerum illarum periti statim coniiciant, exstitisse homines aliis moribus praeditos, quique Diis minus curae sint, quam priores.

Harumce aetatum definitionem diversimode statuunt Historici, praesertim gentiles, qui litteras sacras ignorantes eum a politicis mutationibus desumpserunt. Primam a creatione Mundi ad Diluvium, quod uno, vel altero nomine nuncupatum minime ignorabant: Alteram a divisione primitiva humani generis: Tertiam a coloniarum, & libertatis fundatione: Quartam ab interitu libertatis, quae, Sylla Consule, in tyrannidem declinabat; subodorarunt enim fortasse ex Prophetia Danielis barbarorum inruptionem, quae universa vastaret: Quintam adtingimus infra: Sextam vero temporibus nostris praeservatam ita penitus perhorresco, ut posteri nil, nisi exitium exspectent.

Hanc autem doctrinam, vel a Sibyllis, vel a Danielis Prophetia, ut indicavimus, vel a fama ex inde evulgata facile exceperunt Etrusci, unde spatium durationis argumento mystici Simulacri, quod senas aetates adsignabat, Auream, Argenteam, Aeream, Ferream, Ferream simul, & Luteam, & demum Luteas extramitates: *Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles*. Quinta vero aetas, quae post quartam Romanae Monarchiae successit, facile in tres distingui potest, nempe in declinationem Romani Imperii, quam post Constantinum accidisse cognoscimus, deinde in Gothorum Imperium, demum in Turcicum, quae omnia post eventum nos singillatim designamus. Etrusci vero ab uno ex indicatis fontibus, vel per aenigma edocti in senas aetates rerum omnium perturbationem praescripserunt. Nec otiosa sunt verba Auguris Thusci: Οὐ δῆλον εὐθὺς τοῖς τὰ τιαῦτα σοφοῖς γίνεσθαι, ὅτι καὶ τρόποις ἄλλοις καὶ βίοις ἄνθρωποι χρώμενοι γεγόνασι, καὶ Θεοῖς ἧττον τῶν προτέρων μέλονται. *Ex quo rerum illarum periti statim coniiciant, exstitisse homines aliis moribus praeditos, quique Diis minus curae sint, quam priores*. Quod etiam praeviderat Horatius Carm. III. 6.:

Aetas

Aetas parentum pejor Atavis tulit:
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem;

& re vera compertum est, singulas ex praefatis perturbationibus rerum humanarum conrupisse quam maxime mores, & restrinxisse Religionem.

Ex sententia quoque Etrusci Historici, quam supra praetulimus, clare patet, ipsos recte sensisse contra Mundi aeternitatem, quam plurimi Graecorum perperam adserebant, declarans, τὰς λοιπὰς ἓξ χιλιάδας διαμένειν τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων. ὡς εἶναι τὸν πάντα χρόνον τῆς συντελείας μέχρι χιλιάδας δώδεκα, *reliquos sex millenarios duraturum esse genus hominum, ut sit universum consumationis tempus duodecim millia annorum*. Ex Thuscorum disciplina, non vero Graeca didicerunt Romani, finem huic mundo aliquando imminere. Lucretius lib. V. v. 96.:

Una dies dabit exitio, multosque per annos
Substentata ruet moles, & machina mundi;

& Ovidius I. Metam. v. 256.:

Esse quoque in Fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque Regia Caeli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret;

& Lucanus de Bell. Civ. I. 72.:

sic cum, compage soluta,
Saecula tot Mundi suprema coegerit hora,
Antiquum repetens iterum Chaos, omnia mixtis
Sidera sideribus concurrent, ignea pontum
Astra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutietque fretum.

Idem sensit Seneca Quaest. Nat. III. 26., & Sibyllae apud D. Augustinum de Civitate Dei XVIII. 13., ubi Graeca earum carmina latine versa refert.

Huc usque adtigimus, STUPPANI CARDINALIS AMPLISSIME, paucula, quae nos de Arcana Etruscorum Philosophia conligere potuimus, plura daturi, nisi incuria hominum, & temporum invidia eorum libros nobis penitus subrepsisset. Primo quidem obtutu percipies, dogmata haec minime fuisse popularia, cum longe aliud nobis promittat Philosophia Etruscorum, quae potissime circa Populi Politiam versabatur, auguria, auspicia, haruspicinam, & alia hujusmodi, quorum examine detrahitur potius illorum gloriae, quamquod consulatur. Quid enim tristius nobis, qui Etrusca origine nati sumus, ea retractare, quibus adferamus, majo-

majores noſtros toti generi humano impoſuiſſe, ut inter nebulones cenſeantur? Id unum ad eorum laudem referendum ſupererat, floruiſſe inter eos puriſſimam diſciplinam circa ea, quae vere ſapientem inſtituunt, Arcanam tamen, atque ſecluſam. Quis enim contraire auſiſſet toti Populo, quem Sacerdotes quaeſtuoſi, & Haruſpices ſubvertiſſent, quorum maxima auctoritas erat in Republica, nec impar lucrum, & qui divinae mentis interpretes habebantur? Mirum itaque eſt, tam pauca dogmata ex ſobria illorum Philoſophia, quam ceteri adverſabantur, ad nos perveniſſe; nam in tanta, atque univerſa errorum conluvie, aut maxime ſecreta, aut certe exſecrata eſſe debuerunt.

Plura jam paraveram de communi Philoſophia, de ea praeſertim, quae ad naturam, & artes pertinebat; ſed modum libri jam exceſſimus. Dabimus aliquando, ſi praeſens Conlectio, quae continuari deſiderat, proſpero ſucceſſu proſequatur.

CAP. XX.

Loca indicantur, ex quibus confirmatio praecedentium petenda eſt.

De Genio Domeſtico vide Tractatum noſtrum in calce Tom. III. Muſ. Etruſ. Goriani in Addition. p. 1., ubi multa de Laribus Etruſcis publicis, & privatis, & de multiplici ordine eorumdem Geniorum proponuntur.

De Laribus Etruſcorum publicis, & privatis, & de illorum Larariis vide noſtrum Tomum I. de Pictur. Etruſcor. in Vaſculis pag. XXIX.

De Bacchanalibus Etruſcorum egimus peculiari tractatione praefixa Tom. III. ejuſdem operis Picturar. Etruſcarum jam pro editione praeparato.

Acheronticus, ſive de Ara Sepulcrali, ubi late diſſeritur de Cultu, & Conſecratione Mortuorum ex Ritu Etruſco, multaque de Geniis, & Laribus cumulantur; Muſ. Etruſ. Goriani Tom. III. in Noſtris Addition. pag. 17.

De Cratere Aſperſorio, quo cadavera Etruſcorum Arcanis liquoribus inrorari ſolebant; Inter Symbolas Gorianas, & iterum in Nova Conlectione, cui titulus: *Selecta Monumenta, Florentiae* 1750. pag. 237.

De Menſa Sacra Junoni dedicata Etruſcis, ſive Oſcis litteris inſcripta; ibi pag. 257.

De Funere Etruſcorum; In noſtris Additionibus ad Tom. III. Muſ. Etruſ. pag. 79.

De Etruſcorum Sepulcris; ibid. pag. 145.

De Scriptura, & Litteris Etruſco-

ſcorum Tractatus in principio noſtri Tom. IV., ſive continuationis Muſei Etruſci, quem pariter publicae luci adcinctum, & centum Tabulis jam inciſis inſtructum in promptu habemus.

De Lingua Etruſca egimus in noſtris Epiſtolis Roncalienſibus editis Venetiis in Conlectione Calogeriana Opuſculorum Scientificorum annis 1740., 1741., & 1742.

De Helleniſmo Etruſcorum, nempe de lingua Graeca aliqua ex parte in Etruriam transfuſa Tractatus intes Symbolas Gorianas, & iterum in praefata Conlectione, cui titulus: *Selecta Monumenta*, *Florentiae* 1750. pag. 35.

Etruria Homerica; Tractatus, in quo manifeſtiſſime oſtenditur, Etruſcos ſtudioſiſſimos fuiſſe linguae Graecae, & Graecorum Librorum, potiſſime vero Homeri. Exſtat in Tomo XVIII. Novae Conlectionis Opuſculorum Scientificorum. Venetiis. 1769.

Inſcriptio Oſca, in qua fines reguntur Agri Nolani, & Abellani, expoſita, & notis inluſtrata. Primum id Monumentum illius linguae, quae maxime adfinis eſt antiquae Etruſcae, prodiit in lucem, & prima haec tentamina in hanc linguam publicae luci exponuntur in Tom. II. Conlectionis Opuſculorum Academiae Columbariae pag. 1. Hanc novis inluſtrationibus auctam publicare meditamur in noſtra continuatione Muſei Etruſci.

De Nominibus, Praenominibus, & Metronymicis Etruſcorum; in noſtris Paralipomenis ad Etrur. Regalem Dempſterii pag. 217.

De Re Nummaria Etruſcorum, & aetate, cui Nummi ſinguli probabiliter tribuendi ſint; ibid. pag. 147.

De Pictura Etruſcorum, ejuſque ſingularibus artificiis, & praeſertim de Adceſſoriis hujus artis, ſcilicet Geometria, & perſpectiva, tum & de eruditione in fabulis exprimendis Tractatus praefixus Tom. I. Picturarum Etruſcarum pag. LXIV. Idem Italico idiomate in Pictorum gratiam traductus in Nova Conlectione Opuſculorum Scientificorum Tom. XVI. Venetiis an. 1768.

De Architectura Etruſcorum videnda Diſſertatio in calce Muſ. Etruſ. Goriani pag. 129. Tom. III.

De Caeramica Etruſcorum, & praecipue de Fucis, & coloribus, praeſertim rubro encauſtice paratis, quibus Etruſci utebantur in Vaſculis adornandis, multa traduntur in noſtra Diſſertatione de Genio Domeſtico in calce ejuſdem Tomi III. Muſ. Goriani, 9. 10. 40., & ſequentium.


De Re Veſtiaria Etruſcorum Tra-

Tractatus praemiſſus Tom. I. Picturar. Etruſcar. pag. LIII.

Vindiciae Etruſcae, quibus Vaſa depicta, quae in Etruria, potiſſimum in Campania, & in Sicilia, ac Samnio paſſim eruuntur, ex Etruſcis officinis prodiiſſe demonſtratur, & confirmatur. De lingua Etruſcorum multa paſſim praemiſſa ſunt in citatis operibus, praeſertim vero in Epiſtolis Roncalienſibus, & noviſſime in Paralipomenis ad Etrur. Regal. Dempſterii, in quibus Tabulae Eugubinae magna ex parte explicantur.



DE MUSICA
VETERUM ETRUSCORUM
DISSERTATIO.



ARGUMENTA CAPITUM.

I.

ETruſci apud Italos omnium primi Muſicam excoluerunt. Organa univerſa invenerunt, & perfecerunt, ac Romanis primum tradiderunt.

I I.

Muſicae ſtatus ab Organorum conditione, & perfectione deſumitur. Haec ars ex tonorum varietate, & temporis menſura conſtat. Temporis ſegmenta, & greſſus harmonici quomodo deſignarentur a Thuſcis.

I I I.

Tria Organorum genera Tenſilium, Inflatilium, & Pulſatilium recenſentur. Cithata omnium moderatrix, ejuſque partes exactiſſime deſcribuntur, & ſubinde cetera Tenſilia Etruſcorum.

I V.

Inflatilia illorum enumerantur.

V.

Deſcribuntur Pulſatilia, quae in Etruſcorum Monumentis conſpicua adparent.

V I.

Ex Organorum Etruſcorum ſtructura, & praeſertim citharopoeja facile arguitur, Muſicam ejus Nationis ad ſummum apicem perfectionis perveniſſe ſine Graecorum adjumentis.

V I I.

Muſicae antiquae excellentia cum recenti comparatur, & judicium profertur, utra ſit praeferenda.



EX VRNA FICT. APVD DEMPSTERVM T. I. Tab. XXXVI.

DE MUSICA
VETERUM ETRUSCORUM
DISSERTATIO.



Bcurrente mihi in his Tabulis universa pene Etruria, ac producente e latebris singulos mores suos ordinate dispositos, Musica illius negligenda non erat, ars nobilissima, & Deo prae omnibus adcedens cum votis, & precibus nostris; ubique enim in hisce Picturis ejus testimonia intuemur in choris canentium, cum harmonicis instrumentis, quorum indoles nobis est inquirenda. Quam maxime floruerit haec facultas apud Etruscos, ostendit non uno in loco Athenaeus, & praesertim lib. XII. cap. 3.: Ὑπὸ δὲ τῆς τρυφῆς οἱ Τυῤῥηνοὶ, ὡς Ἄλκιμος ἱστορεῖ, πρὸς αὐλὸν καὶ μάττουσι, καὶ πυκτεύουσι, καὶ μαστιγοῦσιν. *Alcimus Thuscos ad voluptatem adeo propensos refert, ut tibiae cantum adhibeant, cum sontes flagris caedunt, pugillatu certant, & farinam pinsentes subigunt*. Adde pompas, processus, atque convivia, praecipue vero sacra, quibus fere semper concentus intuemur. Id studium potissime efferbuit in hac natione, rudi adhuc cetera Italia, atque ipsa Roma vel nascente, vel nulla, quae deinde

deinde adolescens non alio ex fonte hanc artem excepit, quam ab Etruria, omnium tunc bonorum institutorum magistra, ac deinde portentum. Strabo lib. V. Geogr.: Λέγεται δὲ καὶ ὁ θριαμβικὸς κόσμος, καὶ ὑπατικὸς, καὶ ἁπλῶς ὁ τῶν ἀρχόντων, ἐκ Ταρκυνίων δεῦρο μετενεχθῆναι, καὶ ῥάβδοι, καὶ πελέκεις, καὶ σάλπιγγες, καὶ ἱεροποιΐαι, καὶ μαντικὴ, καὶ Μουσικὴ ὅση δημοσίᾳ χρῶνται Ῥωμαῖοι. *Traditum est, ornatum triumphalem, ac consularem, omniumque adeo Magistratuum a Tarquiniis Romam fuisse translatum: nec non fasces, secures, tubas, sacrificia, divinationem, & MUSICAM, qua publice utuntur Romani, hinc venere.* Illorum inventum fuit tuba, lituus, ceraulus, quorum testimonia, sicuti ceterorum organorum, quae in modulationibus adhibuerunt, antiquissima ex hisce iconibus monumenta producemus. Adcedit idem Athenaeus lib. IV. cap. 25.: Τυῤῥηνῶν δ' ἐστιν εὕρημα κέρατά τε, καὶ σάλπιγγες. *Etruscorum inventum sunt cornua, ac tubae.* Quin & tibiam curvam iisdem adtribuit Pollux lib. IV. cap. IX. num. 5.: Ὁ Τυῤῥηνὸς αὐλὸς ἀντεστραμμένῃ σύριγγι παρεοικὼς, χαλκὸς μὲν ἐστιν ὁ κάλαμος, κάτωθεν δὲ ὑποπνεόμενος. *Tyrrhena tibia inversae syringi similis, cujus quidem arundo aerea est, quae inferne inflatur*; & idem Pollux loc. cit. cap. XI. num. 1.: Εἰ δὲ καὶ ἡ σάλπιγξ τοῖς αὐλοῖς προσήκει, τὸ μὲν εὕρημα Τυῤῥηνικόν. *Quod vero tibiis & tuba competit, Etruscorum inventum est*; Nec aliunde tibicines Roma exsurgens adcersivit, quam ab Etruria nostra. Ovid. de Art. lib. I. v. 112. Sabinarum raptum describens:

Dumque, rudem praebente modum tibicine Thusco,
Ludius aequatam ter pede pulsat humum.

Cujus quidem Tyrrhenae tubae mentio plurima est apud antiquos Scriptores Servium Aeneid. VIII. 526., Sil. Italic. lib. II., & V., Stat. Thebaid. III. 652., & lib. VI. 402., & lib. VII. 630.

I I.

QUae tamen fuerit melopoeja Etruscorum, quodve illius artificium atque excellentia, impossibile est adsequi, arte ipsa, dum dum producitur, evanescente, nisi scriptis commendata posteris diagrammata transmittantur, vel canones, quibus illa continebatur, quorum nihil superest. Unica ergo nobis remanet via ad illam inter tenebras inquirendam, organorum contemplatio, ob adfinitatem maximam, quae intercedit inter organicam Musicam, atque vocalem. Etenim rudia instrumenta simpliciorem cantum redarguunt, atque

atque negligentiorem, cum contra, quae subtiliori investigatione compacta videntur, facultatem longe sagaciorem, magisque studiosam portendunt.

Nemo interim ignorat, Musicam ex duobus potissime constare, nempe ex varietate toni, & temporis exquisitissimis intervallis, quae in singulo gressu rythmico continentur. Hi vero pulsatione quadam designabantur, quam Ἀναβάλλεσθαι τὸν ῥυθμὸν adpellabant. Fiebat vero elevatione manus, aut pedis, seu conspicui alicujus instrumenti, cum praesertim chorus esset frequentior, & tunc Ἄρσις dicebatur; contra vero Τάσις, cum nutus deprimeretur. Graecis in re Thuscanica abutor vocculis, nam studia majorum nostrorum ad alios transfusa peregrino ornatu ad nos rediere, detritis patriis, quae abeuntes detulerunt. Hujus formulae unicum exemplar, sed satis idoneum, infra producimus in Tab. CLXXXI., in qua Lar victor, e bello redux, ovantis more, sistitur inter Aquilas Legionarias, cui ex altera parte obcurrit Lar familiaris coronatus inter Larundas, citharam pulsans; una vero ex feminis epinicium canit, altera Archisymphonetam agit, & manu elata *Gammadion* adtollit, quo excitat ecphonesim. Dubitavi aliquando, an istud instrumentum in formam Γ pro Symbulo Musicae artis habendum esset; nam integer canon vocum, quem vulgo *scalam* adpellamus, antiquitus *Gamma* nuncupabatur a nota Γ, quae primariae voci adponebatur, & universo systemati harmonico nomen tribuebat. Hoc tamen institutum haud tantae antiquitatis esse cognovi, ut ad Etruscos pervenerit; nam communiter adtribuitur Guidoni Aretino Monacho Asceterii Pomposiani, in hac Ferrariensi ditione olim celeberrimi; Alio igitur defluxit suspicio mea in hujus figurae contemplatione, nec fortasse a vero aberraverim, conjiciendo, tigillum hoc cum regula transversa, quae adtolli, & demitti posset, ideo fuisse adinventum, ut cum modus Musicus esset variandus, praescripto signo de Lydio in Phrygium, sive Doricum, de quibus infra, integrum chorum praemoneret. Rem obscuram eruditis antiquae melopoejae examinandam libens remitto.

III.

UNiversus organorum adparatus ad tria capita referendus est; nempe ad *Tensilia*, *Inflatilia*, & *Pulsatilia*. Omnium choriphaea erat Cithara, que communiter confunditur cum Lyra, nam forma par utri-

trique, differente tantum chordarum numero, & chordotonia. Haec orchestram moderabatur, ut nunc Poliplectrum, aut Clauichordium. Ex quatuor partibus constabat, Echaeo, sive ventre concavo, intra cujus specum vibratio chordae concussae profundius reboaret. Ex illo duo cornua, seu brachia in altum procedebant, in quorum vertice jugum transversum infixum erat. Echaeum modo angustius, modo amplius pro chordarum crassitudine, ut mitius, seu vehementius resonarent. Spatiosum videas in Tab. CII., minimum in Tab. CXXIII.

Chordae ex inferiore claviculo supra ventrem extensae, & magadio, sive ponticulo elevatae, atque disjunctae, ut liberius resonarent, in summo jugo adfigebantur volubilibus epitoniis, quorum adcurata vertigine tonum praescriptum adtingerent, atque servarent. Aliquando tubulis osseis immissae per jugi foramina sursum trasmittebantur, ut constantius vocem propriam retinerent; atque exemplum profero in Tab. CV., in qua conspicua sunt epitonia, & tubuli inferiores. Chordae, seu fidiculae, quas improprie Nervos vocamus, ex intestinis ovillis componebantur. Subrogatae vero saepissime chalcochordae & Chalypsochordae ex auricalco, vel chalybe, prout Musicae genus remissiorem, aut acriorem sequelam organi postularet.

Numerus chordarum non semper idem pro ejusdem artis incremento; nam praeter Monochordum, de quo infra, simplicior cithara tribus chordis instructa erat, quarum armoge constabat ex tribus tonis A. C. E, in quibus tantummodo vox canentis organum obsequentem habebat, assa in reliquis efflabatur, cui instituto aptari quodammodo potest scomma Horatianum de Art. Poet. v. 355.:

& citharoedus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.

Haec inops harmonia rudem artem explodit instrumento magna ex parte otioso. Hujus Trichordii imaginem habemus in Tab. CII., & CXLVII.

Tetrachordum frequentius erat (repete Tabulam CII.) cujus chordotonium erat A. C. E. F. Rursus Pentachordon obcurit in Tab. CLVIII., & CLX. Exachordon in Tab. CI., CLXXII. Eptachordon, quod totum systema continebat in Tab. CLXIX. Demum his adjectum Diapeson consonantiarum praecipuum, atque unum omnium unisonum, ceteris tantumodo consonis. Itaque confectum Octachordon, ut in Tab. CV. Ars subtilior addi-

addidit integro ſyſtemati Hyperipatas, & Hypernetes, chordas nempe graviores, & tenuiſſimas ad antiphthongia elicienda, quibus conſonantiae graves, & acutae formarentur. Subinde additum Diſdiapaſon, geminae nempe octavae, & Triſdiapaſon, quod tres octavas contineret, cujuſmodi eſt cithara, quam ſaepe memorat Divus Hieronymus. Demum proditae citharae Simicae ex chordis XXXV., & Epigonia XL. continentes. Non tamen ampliſſimum hoc ſyſtema primum Diapaſon ſequebatur, nam ſubceſſivae chordae pro tribus Muſicae generibus paratae pro metabolis variam chordotoniam adcipiebant, de qua infra erit ſermo.

Citharae adceſſoria Epiſphineter, ſive conſtrictorium, quo epitonia chordarum vertebantur, genus clavis aereae, vel ferreae; cum enim verticilla admodum ſpiſſa forent, manu inermi tractari non poterant. Plectrum ſpathula erat eburnea mucronata, qua chordae ſingulae pulſabantur. Aliquando adunco cuſpide inſtructae erant ad carpendas duriores chordas, quas hyperhypatas vocabant, quemadmodum contra hypernetas acutiſſimas, quae extra ſyſtema tendebantur, ſtilo tenuiſſimo excitabant. Demum adceſſit pecten inſtructum dentibus ita diſpoſitis, ut unico pulſus chordam, quam vocant fundamenti, & conſonas excitaret. Univerſum hoc armamentarium in theca bene ornata circumferebant cum organo, ſicuti ſuſpenſam e cingulo defert Apollo ſedens in Tab. CXXX.

Barbiton cenſebatur inter tenſilia omnium maximum, proceritate hominem aequante, vocis profundiſſimae, & craſſioribus chordis inſtructum, cujus figuram nuſquam obſervavi, quam in Tab. CII. Modus hujus inſtrumenti adeo excrevit apud Romanos, ut Ammianus Marcellinus XIV. 6. inter luxus ſui temporis numeraverit *LYRAS ad ſpeciem carpentorum ingentes*.

Monochordium, quod unicam cieret vocem, duplici commento polytonum reddidere. Apicem chordae tigillo mobili adfixum ſiniſtra manu extendebant, aut remittebant, ut tonos univerſos pro modo agiliſſimae tenſionis effunderet, unum ex omnibus tenſilibus, quod ſemitonos exprimeret. Alterum monochordium invenerunt Etruſci, in quo Nervus perpetuo rotae vortice confricatus reſonaret, additis tamen octo taxillis, qui chordae longitudinem ordinate prementes totidem tonos diſtinguerent, ut integro canoni ſatiſfacerent; ejus ſpecimen obſervamus in Tab. LX. praecedentis libri, fru-

ſtra alibi inquirendum. Inde emerſit Lyra Mendicorum adhuc apud Germanos maxime frequens. Id exemplar maximi facio; nam inde triplex inventum emanavit ad Muſicae perfectionem. Rotae lubricus, & diuturnus circuitus, unde arcus crinitus derivavit. Origo & hinc fuit taxillorum ad ſingulas voces diſtinguendas. Demum hinc deducta eſt chordarum palpatio, quae pro diſcurſu digitorum tonum fidium pro libito imminuit, translato dein feliciter hoc invento ad unicum manubrium, quo ſero admodum pervenerunt Romani, ut infra notabimus, haud diſſimulantes, gloriam hanc Etruſcis noſtris eſſe tribuendam.

Denique habuerunt Etruſci Trigonum, ut in Tabul. LXIX. ejuſdem Primi Tomi, & qui ſaepius recurrit in aliis Tabulis nondum inciſis inter ſchedas meas. Chordae mediae erant in illo craſſiores, atque longiores, ſenſim hinc, & inde decreſcentes, ita ut duo diverſa chordarum ſyſtemata pro duobus Muſicae generibus contineret, ſimpliciſſimo inſtrumento.

I V.

INflatilia cujuſvis generis habuerunt Etruſci, documento naturae ſibilantibus per rimulas ventis, & pro modo faucis organizantibus. Monaulum in primis breviorem tibia, ſed dulciorem, qui gemina manu palpatus videtur ſaepe in his Tabulis, & frequentius in ſchedis meis; quin dubitem, integrum canonem vocum continuiſſe.

At magis obviae ſunt tibiae duplices, quae unico flatu inſpirabantur. Hae aliquando breviſſimae erant, & *Pueriles* adpellabant. Adi Tab. LXIX. prioris Libri. Introduxerunt & *Virginales* mediae formae, ut in Tab. VII., CXLIV., & apud Dempſterium Tab. XXXIX., & LXIII., demum & *Viriles* potiſſime in Bacchanalibus hujus Centuriae obſervandas. At ſingulae tria tantum foramina habuerunt cum tono A. C. E. in dextera, totidem vero in ſiniſtra, non uniſonis, ſed conſonis vocibus ad majorem harmoniam.

Aliquando diſpares erant, altera longiore, ut in Tab. XIII. Tonorum utrique par numerus, ſed, ut puto, major minori reſpondebat per diapaſon, alioquin diſparitas inutilis exſtitiſſet.

Buccinam ab Etruſcis adhibitam video in Tabul. CLXIII., in qua quum nullum inſit diſcrimen vocis, niſi gravioris, aut remiſſioris boatus, aliena erat a modulata melopoeja, & vix admiſſa in tumultu

tu pleni concentus, parco ululatu ad tonos aliquos adgravandos.

Ceraulum, & Lituum ampliorem recurvum ax aere factum, ut supra innuimus, conspicimus in Marmoribus, & praesertim Tom. I. Mus. Etrusc. Tabul. CLXXVIII., & CLXXIX., & Tom. III. Clafs. III. Tab. LXXVIII., ubi Ceraulus obcurrit a puero inflatus. Haec instrumenta lunata numquam integrum canonem vocum excurrunt. Si vero integro orbe flatus reflectatur, potissime si circuli multiplicentur, ut retardato spiritu in vorticibus mollius spiret, tonis omnibus respondet. Hujus postremi Organi imaginem videas in eodem Tom. I. Mus. Etrusc. Tab. VI., desumptam ex Pictura Vasis Gualterii apud Dempsterium Tab. XLVIII., in qua Mars ad Peonem adcedens tubam hanc in triplicem gyrum sinuatam substinet.

Sambucam inter Etruscorum organa inflatilia recenset Pollux in introitu hujus Tractationis adlegatus, qui ita scribit: Ὁ Τυῤῥηνὸς αὐλὸς ἀντεστραμμένῃ σύριγγι παρεοικώς. *Tyrrhena Tibia inversae syringi similis*. Utraque in figuram parabolicam sinuata erat. Atqui cum tubam in Marmoribus magis recurvam in exitu observamus, consequens est, inversam Syringam minus sinuosam fuisse in infima parte, magis vero arcuatam, ubi flatum adcipiebat. Praeterea exitus ejus non patulus, ut in tuba, sed angustus fuit. Quapropter illius sonum describens Athenaeus lib. IV. cap. 7. haec ait: Ἔφη ὁ Μασσούριος ὀξύφθογγον εἶναι μουσικὸν ὄργανον τὴν σαμβύκην. *Acutum esse Masurius dixit Sambucae sonum*. Respondet definitioni ejus figura, quae conspicua est in pompa funebri Columellae Alsaniae, quam publicavimus, atque explicavimus in calce Tom. III. Mus. Etrusci.

Fistulam Etruscam ex pluribus disparibus calamis compactam saepius intuemur in Urnis sepulcralibus illius nationis modo ex quinque, ut ex Tab. LX. Mus. Etrusc. Tom. I., aliquando ex septem, ut ex Tab. XLVII. ibidem, demum ex octo, ut apud Dempsterium Tab. LXXIII. Graecas praetermitto, quas vidi Romae in Marmoribus, in quibus praeter canonem septem vocum gradatim desinentium observabantur etiam quatuor ultra ordinem longiores hyperhypatae ad consonantias profundiores. Has, inquam, praetermitto; nam Etrusca tantum inquirimus.

Adcessoria Inflatilium erant calamaulus, & lingula. Haec extrema flatum ductu arctiore immitte-

bat in tubum organi. Ille vero lamella tenuiſſima lingulae interjecta, atque palpitante raucedinem quamdam pro modo amplitudinis ſono communicabat. Semel obcurrit hujuſcemodi additamentum in tuba Martis, quae ter in orbem ſinuatur, de quo ſupra ſermonem fecimus.

V.

PUlſatilia inſtrumenta ad clangorem magis, quam ad Muſicam ſpectant; nam praeter aſperitatem monotona ſunt, dum Siſtrum excipias, recens inventum ex pluribus aereis calamis diſparibus compactum, & malleolis pulſandum, aut trigonum cum aereis decreſcentibus circulis, ſive campanulis ad harmoniam adcomodatis, quae tamen aliena ſunt a noſtro inſtituto. Tintinnabula, & codoniſcos adhibuerunt frequentiſſime Etruſci in choraeis, & ſaltationibus; quinimmo horum lineas ex humero in obpoſitum latus recurrentes, aut coxae, & tibiis ſtrictim adligatas ſaepiſſime intuemur in his Tabulis, veſteſque ex illis contextas, ut inter incedendum, atque ſaltandum crepitarent.

Tympanum ubique videas, praeſertim Tab. XIII., LXVII., CXXII., CXXVIII., & CXXXIV. Conſtabat ex aereo lebete forinſecus multiformiter exculto, & corio ſuperinducto. Aliquando ſiniſtra ſuſpenſum unico bacillo plectebatur, aliquando duplici, utraque manu operante, ut in Tab. LXX. Illo praecipue utebantur in furialibus pompis Ideae Matris, & Bacchicis, ubi terror religioni conciliandus erat.

Diſcus aereus craſſior bacillo ferreo ictus tinnitum effundebat, in morem noſtri Aeris Campani, quo pariter in Bacchanalibus Etruſci utebantur. Suſpenſum parieti obſervabis in Tab. CXXXIII., & alibi ſaepe in manibus Faunorum ſaltantium, item apud Dempſterium in Etrur. Regali, non uno in loco.

Crotala ad inſtar gemini cyathi forinſecus anſati obcurrunt in Tabul. CXXXII. apud Dempſterium loc. cit. Tab. XXXVI., & Gorium in Muſ. Etruſc. Tom. III. Claſs. III. Tab. XXII. Scutellae mutuo incuſſu acrem, raucumque ſonum ciebant, ad excitandos animos aptiſſimum, quo etiam in bello utuntur Orientales. Minora crotala ex oſtreorum teſtis, & ad illarum imaginem buxea ſimul juncta unica manu quaſſabantur, praecipue a ſaltantibus, crepitu obſequente ſingulis motibus exſultantium. Specimen hujus inſtrumenti obſervatur in Tab. CLXIII.

Cyclus

Cyclus aereus, qui suspensus bacillo ferreo quateretur in Liberi Patris Mysteriis, obcurrit nobis in Tab. CLVI., & CLIX. Alibi etiam observandus, decussatis tigillis adfixus, quo commodius transferri posset.

Erant praeterea crepitacula omnigena ad enthusiasmum, & phanatismum inducendum aptissima, quae observantur in Tabulis CXXIX., & CLVII., in quibus sese obfert instrumentum in modum paterae manubriatae confectum, in cujus extimo limbo antrorsum, atque retrorsum fluctuant virgulae mobiles, cardinibus vinctae, quae celeri concussione agitatae acre sonum in disco excitabant, translato deinde hocce invento ad nostra Semanteria, quibus in Sanctiore Hebdomada utimur, cum Aera sacra funestata conticescunt.

Lances pendulas, quae invicem quaterentur, suspensas in extremitatibus perticae observamus in Tab. CLXVIII., in qua plebejum Bacchanale adumbratum conspicimus.

V I.

HActenus ex contemplatione organorum, quae sibi Veteres Etrusci praepararunt, specimen quoddam rude illius Musicae adtigimus. Superest nunc, ut subtiliore conamine artis excellentiam inquiramus, quam nonnisi a cithara choriphoea sperandum putamus. Tres praecipuos *Musicos Modos* agnoscimus ad universos animi motus concinne exprimendos ab antiquis adcomodatos, *Lydium* ad molles passiones, *Phrygium* ad vehementes, *Dorium* ad intermedias, qui, succedente industria, in plures etiam gradus divisi sunt ab artificibus melopoejae ad exactissimam homoeophonesim adsequendam cum imitatione naturae, & ad pathos, sive passionem adaequatam in auditoribus excitandam. Non enim aequo semper gradu flava bilis exsultat, aut atra exspumat, cum laeta, aut tristia repraesentantur, quarum vivacissima expressione animos ad sui voluntatem exturbat Musica imperatrix. Quin aliquando illos non modo in enthusiasmum abstrahit, sed etiam in phanatismum exagitat, veluti in embateriis bellicrepis cum spiritus in vorticem tumultuarium perturbantur. Proinde legimus, Henricum Daniae Regem aliquando, audito percelebri Musico, ita efferbuisse, ut plures ex ejus familia, tamquam mentecaptus, necaverit.

Itaque singulis modis aptatae sunt expressivae melopoejae, cum organis nerveis, aereis, aut ex cha-

lybe extenuatis, quae fervorem rei ſequerentur. Praeterea modis ſingulis aptata ſunt *Genera* Muſicae; *Diaſtalticum* nempe pro laetis, *Haeſyſtalticum* pro quietis, *Syſtalticum* pro flebilibus; totidemque ſtili, *Diatonicus* nimirum, *Enharmonicus*, & *Chromaticus*, cum maximo doctrinae adparatu in Metabolis, cum de uno in alterum genus excurrendum eſſet, & non ſine magno vocabulorum rumore, Graecia undique reboante.

Quid igitur de Etruſcis noſtris in tantis ambagibus diſciplinae? Adierunt ne Thebanas orcheſtras, ut diſcerent Oedipodarum calamitates metodice deplorare? Vix credam de Natione cultiſſima, cum naturam haberet omniſciam inſtitutricem, & exemplaria familiaris loquelae. Cum maerorem exponimus demiſſe, & tarde verba proferimus, ac interumpimus. Iram properante, vehementique voce ſignificamus. Senſus miteſcunt in fauſtis, adſurgunt ad majeſtatem in gravibus, & divinis, furuntque in adverſis. Quid vero eſt Muſica, niſi loquela harmonica, quae recte tractatur, ſi ad naturam adcedat? Quapropter narrationem ſedati cum cantu exprimimus, erigimur vero in monoſtrophis, ſeu, ut vulgo dicimus *Arie*, nam in illis ex narratione in enthuſiaſmum adflamur, & ſublimius mentis conceptum explodimus.

Ipſum quoque corporis noſtri organum ſine praeceptore tria Muſiſiae genera magis praecipua ſua ſponte producit. Cum enim dolor, & metus vim ſpirituum noſtrorum impediat, atque retardet, & furor exagitet, praecordia noſtra coarctantur, aut dilatantur, efficiuntque illam *Syſtolem*, atque *Diaſtolem*, unde *Syſtalticum* genus, & *Diaſtalticum* factum eſt, mediumque *Haeſyſtalticum*, non Graecis modo, ſed univerſae humanitati notiſſimum, varia tantum adpellatione diſcretum, & pro modo ingenii, in quo Etruſci Graecis non concedebant, illoſque judicio ſuperabant.

Conſequens ergo eſt, Etruſcos antiquiſſimos, qui in Italia omnium primi Muſicam invenerunt, tantoque adparatu organorum excoluerunt, ipſa natura duce, ac viam praemonſtrante, tria illa genera harmonica fuiſſe adſequutos, quae nihil amplius important, quam animi paſſionum imitationem, aptamque rerum expreſſionem. Quinimmo ad hanc artem perveniſſe, facile demonſtrat opificium cithararum tropis adcomodatum, per quae de uno ad alterum modum tranſcendebatur. Horum quiſque propriam harmogen,

gen, sive temperamentum peculiare postulabat, ut in paucissimis chordis phthongi indolem Modi sequerentur. Itaque primus tonus Lydii erat in Do, Phrygii in Re, & Dorii in Mi, unde reliquum Systema dependebat. Tres igitur Lyras habuerunt Graeci, cum de uno ad alterum modum transire debebant, simul conjunctas basi triangulari, cujus facillima evolutione de uno in alterum modum procedebant. At Thusci simpliciore artificio idem obtinuerunt jugo cytharae volubili, in cujus extremitatibus ansae consisterent, quae integrum systema modica versione vel adtollerent de una in alteram vocem, vel deprimerent. Id inventum adtribuimus Etruscis, nam illorum monumenta, e quibus adparet, Romana antecedunt, eadem methodo fabricata. Excurras (si libet) universas cithararum formas ubique in his Tabulis sparsas, & praesertim primam hujus Centuriae, simulque observabis citharae jugum hinc, & inde prosilientem a cornibus, in cujus extremitatibus ansulae adinstar malleolorum infixae sunt pro facili conversione totius cylindri.

Adcessit alterum artificium longe commodius, atque facilius, ut in ima parte citharae versatile hoc lignum consisteret, cum extima rota, ut manus sinistra facillimo motu tonum mutaret. Testem adduco ex schedis meis Picturam Vasis Etrusci, quod ad haec usque tempora mansit in Bibliotheca Collegii Soc. Jesu in Insula Melitae, unde schema ad me pervenit. Idem inventum, & invertendae citharae rationem sero admodum exceperunt Romani, nullo antiquiore argumento, quam ex sculptura marmorei Sarcophagi, quod Romae adservatur in Hortis Caelimontanis Matthaeiorum, ejusque opus Antoninorum aetati adtribuitur, cujus imaginem addendam curavi Operi Doniano de Lyra Barberina, cui ultimam manum adhibui, ut videre est in Tab. V. num. 2., & 7. Tomi I., quemadmodum rursus edendam praestolamur a Cl. V. Joh. Christophoro Amadutio in eorumdem Hortorum Veteribus Monumentis, quibus suas jam adtexuit inlustrationes. Hinc non inaniter censeo inventum ad Etruscos esse referendum. Quae cum ita sint, clare dignoscimus, Musicam apud Thuscos ad summum apicem elegantiae pervenisse sine Graecorum adiumentis, ut versatilibus organis, iisque simplicissimis universas artis argutias commode exprimerent.

VII.

VII.

SUpereſt nunc, ut Muſicam antiquam generaliter ſumptam, Graecam ſimul, atque Romanam cum recenti noſtra conferamus, ut judicium conſtitui poſſit, utra illarum ſit praeferenda, argumentis ab organorum examine derivatis; nam alioquin interdictum eſt ambas experimento tentare.

Judicium triplex proferendum eſt de ſingulis Muſicae partibus, *Organica*, *Melopoeja*, & *Cantu*. Quod adtinet ad primam, video omnibus antiquorum organis tarditatem, & aſperitatem, quas repeto a praemiſſa Citharae deſcriptione; ubi enim chorda manu dextera tentanda eſſet, ſiniſtra proximas hinc inde dimovere oportebat. Inde chordae univerſae tam acriter pertentatae tenſionem praecipuam relaxabant. Paucitatem tonorum vix compenſabat numerus ſubinde multiplicatus, qui facile citharoedum confundebat. Torpebat ergo Muſica Organica, quae plerumque excitabatur in clauſulis, cum periodus harmonica expiraret, aſſa ceteroquin voce cantantis. Nunc in manubriis diſpoſito canone, vocum agili palpatione in decurſu manubrii arcus crinitus fluxu repentino univerſas voces depromit. Nulla olim fugacium notarum agilitas, atque illa harmoniae fulgura, quae lubricas voces nec diſcerni patiuntur, nec numerari, perturbatione gratiſſima. Hinc ambiguae vocis in duplicem partem anhelantis protracta ſuſpenſio, & vocum deliquia, aut incrementa, quae quondam ex obſtinatiſſimis tonis nec minui poterant, nec augeri. Deerat haec celeritas ad perfectam imitationem naturae, quae cum turbatur, & vehementer commovetur, non loquitur, ſed dilabitur.

Si vero praeſtamus in Organica, facile in Melopoeja ſuperamur. Exacta illa naturae imitatio nonniſi ab intima Philoſophia petenda eſt ad paſſionum indolem adſequendam. Inde adcerſendus in expreſſione iracundiae primus ille in exortu tumultus, atque confuſio, & veluti haeſitatio; progreſſus vero conſtantior, exitus praeceps, & ruinoſus. In rebus trepidis prima illa imago periculorum, inde dejectio, demum deſperatio. In laetis confuſa exſultatio, quae in ſpem potiorum erecta, in enthuſiaſmum proripitur. In hoc vero maxime profecit antiqua Melopoeja, quia a Philoſophis intimae naturae conſciis tractabatur, uſque ad miracula elicienda, (ſi fides ſcriptis adhibeatur,) ut morbos Muſica curarent, furorem compeſcerent, & inertes excitarent. Hanc excellentiam (ſed miraculo tenus) aetate

te

te mea adſequuti ſunt ſcitiſſimi artifices Vincius, Bononcinius, Pergulenſis, aliique, ſed in primis Vir Religioſſimus, atque humaniſſimus Joh. Baptiſta Martinius Bononienſis, Franciſcanae Familiae Alumnus, cujus nomine recreor, qui intenſiſſima ſcientiae harmonicae cognitione omnes facile praedeceſſores ſuperavit, quique ad univerſalem Muſicae Hiſtoriam elaborandam numerum decem, & ſeptem millium Auctorum theoreticae partim, & practicae Muſicae conlegit, ad quos ſane obſtupuit Vir Cl. Martinus Gerbertius Abbas Cong. S. Blaſii in Silva Nigra, & S. R. Imperii Princeps, qui eruditiſſimum Opus de Muſica Eccleſiaſtica jamdiu parat, quamquam ipſe inſigni huic Martinianae Conlectioni ex ejus ſelectu potiſſimum ex Germaniae Bibliothecis facto plurium ad rem idoneorum Scriptorum Appendicem ſuppeditaverit, ut ipſe teſtatur in *Itinere Italico* edito Typis San-Blaſianis anno CIↃIↃCCLXV. pag. 461., ubi de ejus tranſitu Bononiam, & Ferrariam agit, qua in Urbe degens humaniſſime ab ipſo tunc viſitatus ſum, ut proinde hoc loco haec obſequii argumenta rependere voluerim, quo etiam honorificae, quam ipſi libuit ibidem noſtri facere, commemorationi aliqua ſtet noſtri itidem officii viciſſitudo. Hiſce igitur ducibus Melopoeja robur priſtinum, & majeſtatem reparaſſet, niſi potior Archiſymphonetarum turba conruptis vulgi auribus obſequens, natura poſthabita, unice titillationi deſerviret. Nempe hi ſunt, qui profuſi in minutias auditu gratiſſimas, ſed cordi incognitas, non ultra progrediuntur, intactis paſſionibus, quae ſine vera imitatione non excitantur. Cur enim ad iram movear, ſi Muſurgus naturam irae vel ignoret, vel negligat. Ita nec flector ad pietatem, cum extrema Polyxenae morientis verba percipio inter garrula ſubſilientium notularum diffugia blandule emollita; dum luſciniam audio, non Muſicum, qui mortem Regiae Virginis gargarizat.

Quo vero ad tertium Muſicae officium, quod circa Cantum verſatur, ſine dubio praeſtamus antiquis. Veterum miracula tribuuntur Thaleti, Empedocli, Pythagorae, Socrati, Aſclepiadi, quorum vox multum de Stoa, aut Peripato reſonabat; at nulla tunc exercitamenta perpetua ſub Phonaſco, ut hodie, etiam ſub communi convictu, nec ampla ſtipendia, quae ſectionem corporis magno foenore, atque honore compenſat. Nemo olim ex honeſtis viris Muſicam ignorabat,

ſed

ſed tam vulgaris artis diffuſio intimam cognitionem facile excludit. Addo frequentiam noſtrorum Drammatum, quae periculo plena exercitamentum maximum poſtulant, atque artis adparatum. Si vero Muſica rationalis vim cantantis erigeret, jactata illa veterum miracula validius experiremur, quam cum Philoſophi decantarent.

Prae ceteris vero oportet, Poeſin anteire Muſicae in praeceptis Pathologiae, ut animi motus ad vivum eliciat, ſimulque adtollat, & roboret, ut expreſſio fortius urgeat, & premat, idque in gratiam ſpirituum ſtupidorum, qui tradius excutiuntur. In primis vero Poeſis tota imaginibus redundet, praeſertim in monoſtrophis, in quibus aliquid enthuſiaſtici ineſſe debet. Nam in illarum imitatione, & ſequela potiſſimum emicat Melopoejae artificium; maxime vero elangueſcit, cum nil, niſi nuda verba cantantur, in quibus nihil prorſus obcurrit, quod modulatione imitetur.



INDEX

INDEX TABULARUM

Quae in hoc II. Volumine inlustrantur.

Tab.

CLASSIS XII.

CLASSIS XIII.

CLASSIS XIV.

PICTU-



PICTURARUM ETRUSCORUM
IN VASCULIS
CLASSIS VIII.
FESTIVI ADPARATUS IN TOGAE VIRILIS ADSUMPTIONE.



TAB. CI.
DEA JUVENTUS ADOLESCENTI PRAETEXTATO OCCURRENS.



Acrum illud Praetextatum, quo toga adoleſcentibus tribui ſolebat, ex Etruſcorum Pictuiris Libro priore aliqua ex parte inluſtravimus. Quod ſupereſt, eo libentius continuandum ſuſcipimus, quo haec caeremonia etiam Romanis moribus ſolemniſſima vix, aut vix in illorum monumentis adumbratam videamus.

In hac Tabula adoleſcens togam exſpectans tunicula in lateribus aperta indutus eſt, quam Etruſci nobiliores ſuper nudo deferebant, & cui toga ſuperponebatur. Id manifeſte conligitur ex ſimulacro aeneo Etru-

ſci Proceris Peruſiae reperto apud Dempſterium Tabula XXXX. Veſtis erat omnium ſimpliciſſima, pannus nempe oblongus, unico foramine circa medium apertus, per quod caput tranſmitteretur, de quo in noſtro Tractatu de Re Veſtiar. pag. LVI. Dubitavi aliquando, ne id indumentum referret nobis veram praetextae imaginem; ſed plura ſuadent, nil aliud fuiſſe, niſi intimam veſtem tam adultorum, quam puerorum, qua frigoris arcendi gratia utebantur, tam ſub toga, quam ſub praetexta. Enimvero apud Gorium Muſeo Etruſc. Tom. III. Claſs. 3. Tab. XXIII. num. 1. in Marmoreo Sarcophago, in quo funus conſpicui viri expreſſum eſt, adſtant duo pueruli, eadem tunicula inferius induti, ſuperne vero praetexta in modum togae circumvoluta, quod etiam ex aliis monumentis ibidem Tab. XXVII., & ex Columella Alfania, quam in eodem Libro produxi, & inluſtravi, abunde comprobatur.

Adcedit, quod idem genus veſtimenti Magiſtratibus conceſſum fuit. Livius XXXIV. 7.: *Purpura viri utemur; praetextati in Magiſtratibus, in Sacerdotiis; liberi noſtri praetextis Purpura togis utentur.* Erat ergo praetexta in modum togae conformata, lineis purpureis tantum diſtincta a toga pura, qua viri utebantur, & a toga ornamentis tantum differebat, & prolixitate; nam praetexta ad talos uſque demiſſa erat.

Dum adoleſcens, depoſita veſte puerili, togam praeſtolatur, Dea Juventa e caelo delapſa eidem occurrit, & citharam illi pulſandam obfert, veluti ſymbolum novae aetatis, quae ad graviora ſtudia excitabat, inter quae Muſica cenſebatur. Dea, ſolutis crinibus, incedit, ut ſaepe in ſigillis, & in hiſce Picturis; nam juventutis patrona intonſos pueros imitabatur. Hinc apud Perſium Sat. III. 54.:

indetonſa juventus,

& Horat. III. 20. de Nearcho adoleſcente:

Fertur & leni recreare vento
Sparſum odoratis humerum capillis.

& lib. IV. 10. de Ligurino:

Et quae nunc humeris involitant deciderint comae:

Dea coronata adparet, qualem eam vocat Heſiodus, a quo χρυσοςέφανος adpellatur.

Notan-

Notanda ſeſe obſert diſpoſitio citharae, quam Juventus adoleſcenti exhibet, veluti pignus hilaritatis; qui enim id inſtrumentum pulſabant, ſiniſtram partem, unde lorum pendebat, humero ſiniſtro aptabant, & conligabant. Qui vero alteri utendam tribuerent, latus illud Lyrae praemittebant, in quo vinculum diſpoſitum eſſet, ut acceptam collo aptarent.

Tab. CII.

TRIPUDIA IN ADSUMPTIONE TOGAE CELEBRATA.

DUM Pueri Togati ſimul conveniunt, veluti invicem gratulabundi, domi ſolemne tripudium praeparatur. Mulier Archiſymphoneta ſedens citharam pulſat longiore echaeo inſtructam, μακροπῆχυν, ob diſtantiam jugi, in quo erant Epitonia, ab imo capite chordarum, quod genus inſtrumenti fortiores chordas poſtulabat ad ſonum graviorem excitandum, de quo in Tractatu de Muſica Etruſcorum cap. III.

Pſaltriae geminae in Etruſcorum conviviis uſitatiſſimae adſtant una cum bacillis, quos inter ſaltandum quaſſabant, aereos ne, an ligneos, ignoro. Hos digito ſuſpenſos manu agitabant; ut ad modos crepitarent. In noſtris Lucernis, & in Bellorianis frequenter occurrunt Mimi, qui utraque manu par bacillorum excutiunt.

Mulier altera ejuſdem inſtituti exomide ſuper induta eſt, tintinnabulis undique referta, quae ad ſingulos motus perſtreperent. Apud Graecos prodromi, ſive anteambulones ſimili veſte exſtitere, Κωδωνοφόροι adpellati, veluti monitores, ut populus via excederet. Apud Etruſcos vero id geſtamen omnino laetitiae adtributum eſt; nam paſſim objiciemus Geniorum imagines lineas codonum geſtantium. In ejus ſiniſtra crepitaculum cernitur, quod aliquando ex oſtreorum teſtis, lamellis buxeis, aereis, introrſum cavis conſtabat, cujuſmodi in Bacchanalibus utebantur. De his feminis loquitur vetus Juvenalis Schol. Sat. XI.: *Pſaltria, quae ad molles corporis geſticulationes effracta eſt; quam olim ſympoſiis intromitti ſolemne erat, uſque adeo, ut ne emendatioris vitae Philoſophi abſtinerent.*

Ultima intercedit Ancilla cithariſtia brevioris moduli, quae molliorem ſonitum tenuioribus chordis excitaret, manu vero ſiniſtra arcu-

lam adtollit, unde Toga recta adolescenti depromeretur, vel cui praetexta jam emerita includi deberet.

TAB. CIII.
CONVIVIA IN ADSUMPTIONE TOGAE CELEBRATA.

Solemne fuit Poetis, ac Pictoribus, praesertim Etruscis, Deos suos in quavis, licet vulgari, actione exprimenda interponere, ingens aliquid subsidium ad sublimitatem, & majestatem operibus conciliandam, nisi hujuscemodi familiaritas Deos ipsos maxime prostituisset. En igitur in solemnitate acceptae Togae convivium ordinatum, in quo plures Dii epulentur.

Primum locum occupat Bacchus, Dominator temporis, quo potissime virilis Toga sumebatur, cornu potorium adtollens, & thyrsum substinens. E thyrso diffunditur vitis racemis undique referta, quam Deus iste, ubicumque oporteret, producere solebat, veluti in navi, cum a latronibus captus esset, ut in hymno Homeri vers. 38.:

Αὐτίκα δ᾽ ἀκρότατον παρὰ ἱστίον ἐξετανύσθη
Ἄμπελος ἔνθα καὶ ἔνθα, κατεκρημνῶντο δὲ πολλοὶ
Βότρυες.

Statim autem in summitate veli extensa est
Vitis, huc, atque huc, pendebant autem multae.
Uvae.

Gestamen capitis recens Pictor deformavit in galerum ex mithra, fasciolis luxuriantibus in nodos; unde ab Orpheo nuncupatur in Trieter.:

Μιτρηφόρε, θυρσοτινάκτα,

Mithram ferens, coronam agitans.

Baccha, quam libenter Etrusci viro suo conjungebant, discum profert cum placenta ex his, quas Clemens Alexandrinus Cohortation. ad Gentes cap. II. describit: Πόπανα πολυόμφαλα, *Liba multis distincta umbilicis*. Ejus Vestis globulis, sive stellis ornata est ea prorsus ratione, qua maculosae Tigrides, quae in ejus tutela erant, atrox Caeli simulacrum, cujus imperium Bacchus sibi tribuebat, de quo videndus Macrobius.

Apollo

Apollo coronatus, & ramum lauri bifidum adtollens citharam ſubſtinet, nil eſculentum, aut poculentum, niſi alienum exſpectans, more Poetarum. Propert. III. 16.:

Quod ſupereſt vitae, per te, & tua cornua vivam,
Virtutiſque tuae, Bacche, Poeta ferar.

Pendet a cithara Apollinis plectrum thecae incluſum cum chorda deſuper involuta. Chordotonum nuncupabant. Adcurrit tamen Bacchi miniſter Ampelus, ſive Acratus cum vini ſitula, & cyathum adtollens.

Ex ima parte Dea Tellus pomis coronata opportune accedit cum placentula, unde flores, & fructus exſultant.

Imminet Telluri Silenus Citharedus, non caudatus, ſed tunicatus, quam differentiam infra opportune notabimus; nam Fauni caudati in participatione ſacrorum medium locum obtinebant poſt Tirones Satyriſcos; utrumque autem ordinem praecedebant Sileni omnibus Baccho proximiores, & qui intima ſecreta adtingebant.

In ejus capite inſignis corona conſpicitur tribus globulis in fronte inſignita. Numerus iſte Baccho acceptiſſimus habebatur ob triennalem in Indos expeditionem, unde Trieterica inſtituta ſunt. Globuli hujuſcemodi bullas referunt, quae gemmeae, aureae, aereae, & fictiles pro conditione fortunae vittas ſacras adornabant; quod etiam in ſculpturis, quae Ciſtophoros exprimunt, manifeſtiſſime obſervatur. Bullas hujuſce notae cum poſteriore adminiculo, quo firmarentur in infulis, Romae multas conlegi, quarum nonnullas parergi loco conlocavi initio Tomi III. mearum Lucernarum, & in Tabulis CV., & CVI. ejuſdem Libri, ubi nonnulla circa illarum uſum eo loco adtigi. Nec fortaſſe difficile erit ex Bacchanaliorum Picturis conligere, numerum hunc bullarum indicaſſe gradum provectionis in hiſce myſteriis, quem omnino triplicem fuiſſe cognovimus. Ceterum hujuſmodi ſignaculorum uſum in coronis Bacchantum indicat nobis Lucianus in Tragopodagra, ubi *ſphragiſma* illum vocat verſ. 78.:

Ἦ μή τις ὕμνος Βακχείων κωμάζεται;
Ἀλλ' οὐχ' ἔπεστι κισσίνη σφαγὶς κόμαις.
Anne hymnus Bacchantium canitur?
Sed non ſubeſt hederaceum Sigillum *comis*.

Citharam pulſat, ut cum Apolline, licet diſpari voce, bicinium compo-

componat ad convivium condecorandum; in hoc enim Muſica potiſſime deſiderabatur, ut liquet ex Homero Iliad. I. verſ. 601.:

Ὥς τότε μὲν πρόπαν ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα
Δαίνυντ᾽: οὐδ᾽ ἔτι θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐΐσης,
Οὐ μὲν φόρμιγγος περικαλλέος, ἣν ἔχ᾽ Ἀπόλλων,
Μουσάων θ᾽, αἳ ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ.
Sic tunc quidem totam diem uſque ad ſolem Occidentem
Convivabantur: neque amplius animus indiguit convivio aequali,
Neque lyra perpulchra, quam tenebat Apollo,
Muſiſque, quae canebant invicem excipientes ſe voce pulchra.

& lib. XXI. Odyſs. verſ. 428.:

Νῦν δ᾽ ὥρη καὶ δόρπον Ἀχαιοῖσιν τετυκέσθαι
Ἐν φάει, αὐτὰρ ἔπειτα καὶ ἄλλως ἑψιάασθαι
Μολπῇ, καὶ φόρμιγγι· τὰ γάρ τ᾽ ἀναθήματα δαιτός.
Nunc autem hora & coenam Achivis parari
In luce, at poſtea, & alioquin delectari
Cantu, & Cithara; haec enim ornamenta convivii.

In ima parte conſpiciuntur tres Ephebi nuper Toga donati, qui ad aram conſiſtunt, cui imminet e clavo praetexta puerilis in globum conſtricta, quam domeſticis Laribus emeritam reſignabant. Ex his unus ſtrigilem adtollit, veluti ſignum poteſtatis publicorum balneorum. Hic vero notanda occurrit caeremonia in hiſce ſolemniis uſitata, quod nempe Tirones vitta coronati incedunt, quod alibi fere ſemper occurrit. Mos iſte confirmatur Propertii teſtimonio lib. IV. 11., 33., ubi narrans, ſe poſt Togam acceptam matrimonio junctum fuiſſe, haec habet:

Mox ubi jam facibus ceſſit praetexta maritis,
Vinxit, & acceptas altera vitta comas.

Unde conligo ante vittam maritalem alteram detuliſſe, quam cum Toga ſuſceperat.

TAB.

TAB. CIV.

BACCHI APOTHEOSIS IN DATIONE TOGAE.

THema praecipuum hujus Tabulae eſt Togae virilis traditio; Fabula vero adjecta parergon eſt, in quo Bacchi Apotheoſis exprimitur, idque opportuniſſime, nam, ut praemiſimus, haec ſolemnitas tempore Bacchanaliorum recurrebat.

Praecedit Mercurius Dux itineris, ſubſequitur Hercules, qui humeris, quibus caelum ſubſtinuit, Bacchum fratrem ſuum ſenem imbecillem, ac multo vino temulentum, & vacillantem in caelum defert, exemplo tamen ſingulari.

Faunus comes obverſus ejus languorem, & inertiam admiratur, & increpat, cum alioqui Mercurius longe humanior Bacchum reſpiciens ipſum confortare videatur.

Dea Tellus in ſcopulo ſedens Dei, a quo bona multa ſuſceperat, diſceſſum cogitabunda admiratur.

Nec alteri, quam Mercurio officium id debebatur, nam cum adhuc Bacchus infans eſſet, & ad necem conquiſitus ipſe clam ſublatum diligenter enutrivit. Praeterea alteri nemini datum erat animas in caelum efferre. Horat. I. 10.:

Tu pias laetis animas reponis
Sedibus.

Ita etiam ſenſere Graeci, teſte Pauſania *in Lacon.*, ubi ex ſculpto marmore hanc conſecrationem deſcribit: Διόνυσον δὲ, τὸν μὲν παῖδα ἐς οὐρανὸν ὄντα ἔτι ἔστιν Ἑρμῆς φέρων. *Liberum Patrem puerum adhuc in caelum portat Mercurius.* At contra Nonnus Dionyſ. lib. poſtremo in fine v. 974. Bacchum non puerum, ſed jam longe adultum, & de toto pene orbe triumphatorem in caelum migraſſe narravit:

Καὶ θεὸς ἀμπελόεις πατρῷϊον αἰθέρα βαίνων,
Πατρὶ σὺν εὐώδινι μιῆς ἔψαυσε τραπέζης,
Καὶ βροτέην μετὰ δαῖτα, μετὰ προτέρην χύσιν ὄινου,
Οὐράνιον πίε νέκταρ ἀρειοτέροισι κυπέλλοις,
Σύνθρονος Ἀπόλλωνι, συνέστιος υἱέϊ Μαίης.

Et Deus viteus paternum aethera ſcandens,
Patre cum partum felicem habente unam tetigit menſam,

Et

Et mortale post convivium, post priorem fusionem vini,
Caeleste bibit Nectar melioribus poculis,
In una sede sedens cum Apolline, convictor filio Maiae.

Res agitur in Oceano; nam sub Mercurii pedibus marini fluctus revolvuntur, & undique pisces inter Actorum pedes elabuntur, quod mysterio non caret; siquidem Heroes ex Diis, & mulieribus progeniti, licet jure sanguinis caelum sibi vindicarent, attamen mortale quidpiam eluere prius debebant; Bacchus praesertim malorum multorum auctor feracissimus. Purgatio autem trina erat, per aquam, ignem, & ventilationem. Virgil. Aeneid. VI. vers. 740.:

aliae panduntur inanes
Suspensae ad ventos, aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Eadem conditio Herculem subjecit incendio. Ovidius Metam. IX. v. 262.

Interea quodcumque fuit populabile flammae,
Mulciber abstulerat, nec cognoscenda remansit
Herculis effigies, nec quidquam ab imagine ductum
Matris habet.

TAB. CV.

LUDI, ET LECTISTERNIA IN TOGAE VIRILIS ADSUMPTIONE.

EAdem caeremonia in utroque Vase exprimitur, inter geminos adultos, qui baculis innituntur, quod solemne erat in Saturnalibus, ut Libro priore declaravimus. Stat Tiro, brachiis intra Togam inclusis, nec enim, nisi post annum, modestiae caussa exertos prodire licitum erat, ut jam praemisimus.

Prioris Vasis latus occupat tripudium cum Musica. Modos facit Apollo Citharedus, & Musa tibias pares inflans, saltat Bacchus cum ferula, ex qua geminae vittae dependent.

Alterius Urnae posticum latus ornatur lectisternio in honorem Larundae, cum enim id sacrum ad matrisfamilias officium pertineret, teste Propertio IV. 130.:

Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo,
Matris, & ante Deos libera sumpta Toga,

hinc

hinc Deae maternae primas occupant in hac actione. Larundae indumentum peculiare est, & omnino Samniticum. Id conligo ex pari forma saguli Samnitici, quo Lares infra exponendi adornantur cum galea duplici penna insignita, quale gestamen militibus ejusdem nationis peculiare erat cum lancea bicuspide, qua passim Lar ejus populi incedit armatus, quam describit Gratius in Cynegetico:

Ille etiam valido primum venabula dente
Induit, & proni moderatus vulneris iram
Omne moris excepit onus, tum stricta verutis
Dentibus, & geminas subiere hastilia furcas.

Hujusmodi lanceam aeream e veteri sepulcro defossam vidi olim Tuderti.

Larunda igitur jacet in lectisternio, quod inter maximas Deorum precationes censebatur, nec nisi diebus solemnioribus, aut diris calamitatibus ingruentibus, frequentari solebat. Stratis ergo in templis, aut domorum sacrariis splendidissimis lectulis cum pulvinaribus, Deorum simulacra in illis erigebantur, adpositis exquisitissimis dapibus, quibus Dii, si vellent, pascerentur, sin minus Epulones, qui Deorum vices obibant, manducando: genus sacerdotii omnium commodissimum. Servius in Georg. lib. III. 533.: *Lectulus, in quo Deorum statuae reclinabantur*. Conligitur tamen ex Valer. Max. II. 1. Dearum effigies sedentes in pulvinaribus positas, quia feminae in convivio sederent, non jacerent, ut viri: *Jovis epulo ipse in lectulum, Juno, & Minerva in sellas ad coenam invitantur*; Sed contrarium evincitur ex Livio V. 13., ubi in tribus lectulis conlocat *Apollinem, Latonam, ac Dianam, Herculem, Mercurium, & Neptunum*. Differentiam ritus conloco in forma simulacrorum, quae, si recto statu constructa essent, reclinari quidem in pulvino poterant, non vero flecti, ut sederent.

Mater Familias linteo sacro pectus adoperta adcurrit cum gutto, seu simpulo, vinum obferens, & Larundae cistam ampliorem deferens capite, in ea novam Togam filio tradendam Deae primum obiicit, ut numine suo auspicatiorem efficiat.

CLASSIS IX.

SACRA DIVERSA IN TRADITIONE TOGAE.

TAB. CVI.

CULTUS LARI DOMESTICO, DUM TOGA TIRONIBUS CONCEDERETUR.

De ſacris Domeſticis, quae, cum Toga adoleſcentulis traderetur, peragebantur, nonnulla praemiſimus Libro ſuperiore, quae multiplici exemplo ex ſequentibus Tabulis confirmantur. Mater filium ſuum e balneo ſurgentem cum linteo, & pateram porrigentem adloquitur, & ſitulam defert, unde vinum fundat in patera, ex qua natus, ante quam Togam induat, & coronam ſumat, primum ſacrum auſpicetur.

Senex barbatus baculo innixus nihil humanum praeſefert, ſed ſub hoc adſpectu vel Hebonem, aut Larem Domeſticum ſaepe obſervavimus, ſenili vultu, & habitu paganico ornatum cum baculo, quo fures depellat.

TAB. CVII. ET CVIII.

IDEM ARGUMENTUM.

Ex priore adſpectu hujus Vaſis facile intelligimus, quo ritu Toga primum componeretur ſupra dorſum adoleſcentis; nam non modo brachia penitus incluſa tegebat, ſed partem etiam faciei, oculis tantum excluſis, qui cultus non ad verecundiam modo pertinebat, ſed etiam ad majeſtatem ſacrificii, quod nonniſi velatos facere licebat.

Deus Hebo, de quo in ſuperiore nota, ſive Lar Domeſticus, adcurrit Publicis Laribus, qui armati non domos tantum, ſed Urbem tuebantur, ad ſacra civium adcurrunt, veluti in ſui tutelam novum civem, & columen Patriae ſuſcipiant.

Parum diſtat argumentum Tabulae CVIII., in qua Lar publicus clypeo armatus non vulgari ſacrificio honoratur, ſed duplici victoria adcer-

adcerſita corona, & ſtrophio excipitur. Haec donaria e Lana fieri ſolebant, cui aliquid religionis ineſſe putabant veteres. Plinius XXIX. 2.: *Lanis autoritatem veteres Romani etiam religioſam habuere, poſtes a nubentibus adtingi jubentes*. Prolixitas hujus vittae oſtendit, ex his fuiſſe, quae terno ambitu altaria cingebant. Propertius IV. 6.:

Terque focum circa laneus orbis eat.

TAB. CIX.

IDEM ARGUMENTUM.

LAres Domeſtici nudi a matrefamilias coronantur; nam ab eorum cultu coronae in jus ſacrum conceſſerunt. Plinius lib. XXI. 3.: *Et jam tunc coronae Deorum honos erant, & Larium publicorum, privatorumque, & ſepulcrorum, & Manium*; Et Juvenalis Sat. IX. 137.:

Lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui ſoleo exornare corona.

Dubium fortaſſe ingerit, quod Lares Domeſtici plurali numero hic adpareant, cum frequentius Deus iſte ſingularis ſit. Scrupulum tamen tollit doctrina Etruſcorum, qui Lares familiares nihil eſſe putabant, niſi Majorum umbras, qui familiae decus, & nomen maxime extuliſſent, ut latius oſtendimus in noſtro Acherontico Cap. XI., & XII.

Materfamilias viticulam calcat ex illis, quas in memoriam traditae Togae, quemadmodum in natalitiis, humi depangebant; de qua consuetudine aliqua adtigimus in noſtris Paralipomenis ad Tab. Dempſterianam XX.

TAB. CX.

IDEM ARGUMENTUM.

DOmeſticum Sacrarium ramuſculis virentibus undequaque renidet. Alveolus, in quo Lares ſervabantur, apertus eſt, unde ex catenula pendet ſuſpenſa ſitula vini ad ſacrificium peragendum. Larunda ſeminuda aram occupat, oblationes exſpectans, & vittas ſacras ad caeremoniam rite peragendam mulieribus ſacrificulis obfert.

Harum una lancem cum ovis ſiniſtra adtollit ad expiationem. Apulejus Metam. XI.: *Summus Sacerdos theda lucida, & ovo puriſſime purificatam dedicavit*, & Ovidius de Art. Amand. II. 329.:

Et veniat, quae luſtret Anus lectumque, locumque,
Praeferat & tremula ſulphur, & ova manu.

Dextera vero crotala ſtringit, quorum crepitu ſacrum toti familiae indicat.

Mulier altera ſitulam e Sacrario adtollit ad libationem; altera vero manu ſpeculum obponit Deae praeſenti, quae formula inter ſacra obſequia cenſebatur. Idem Apulejus ſacrum proceſſum feminarum deſcribens: *Aliaeque, nitentibus ſpeculis pone tergum reverſis, venienti Deae obvium commoſtrarent obſequium.*

Materfamilias ante aram ſedens filio Togato ex patella placentam ſublatam illi obfert, ante Lares ſuſpendendam.

Praecipuum eſt in hac Pictura duplex Lararium apertum in eodem cubiculo, in quo fortaſſe Dii Domeſtici pro diſparitate ſexus cuſtodirentur.

TAB. CXI.

IDEM ARGUMENTUM.

OMnia conſonant cum Tabula ſuperiore. Mater ſedens ante aram ſub Larario nondum aperto libum filio obfert; ſedentes enim vota concipiebant.

Lar armatus obcurrit Deae Larundae ſeminudae, & ornatiſſimo cultu ſedenti. Duo ramuſculi roris marini hinc, & inde diſpoſiti in cauſſa ſunt, cur ego Laribus hanc Picturam adſcribam; nam haec planta, veluti domeſtica, Domeſticis Laribus ſacra erat. Horat. III. 14.:

Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.

Ornatur praeterea Bulla, quae ab adoleſcente depoſita Laribus obveniebat, ut alibi oſtendimus.

Ara media in forma candelabri adſurgit; deeſt tantum crater mobilis, qui cum prunis recentibus adferebatur, ubi thus adolendum eſſet. Faſtigium vero triangulare ornamentum erat temporarium, ne arula imperfecta interim ſubſiſteret, atque deformis, amoto lebete. Nec inficia-

ficiarer, id parergon exprimere illos *thuris acervos*, cucullo, ſive reticulo incluſos, qui parati ſacrificium praeſtolarentur.

Corona, quam ſiniſtra ſubſtinet Lar, ex illis eſt, quas Etruſcas vocat Plinius, lemniſcis dependentibus.

TAB. CXII.

IDEM ARGUMENTUM.

LAR Samnitico cultu armatus adparet, galea duabus pennis inſignita, & brevi ſagulo, cujus thorax adceſſione novi praeſidii confirmatur. Lapidem putarunt multi ex forma quadrata in angulum forinſecus prominente, cum primum haec ſchemata obſervari datum fuit. Sed audiamus Livium IX. 40., ubi Samnitum armaturam deſcribit: *Spongia pectori tegumentum, & ſiniſtrum crus ocrea tectum; galeae criſtatae*. Romanis tandem ſubjecti hanc armaturam gladiatoribus conceſſerunt. Plinius VII. 20.: *Tritanum in gladiatorio ludo Samnitium armatura celebrem*; qui vero aemulum ex his ſuperaſſet, detracta pinna, ſe victorem oſtentabat, unde Juvenal. Sat. III. 158.:

filius inter
Pinnirapi cultos Juvenes, Juveneſque laniſtae.

Hinc mirum non eſt, Samnites proprio cultu armaſſe Lares ſuos, ut ex innumeris harumce Tabularum, quae apud me ſunt nondum aeri inciſae, teſtimoniis maxime comprobatur.

Arbuſcula ſacra ad pedes Laris adſurgit. Inter vero Togatos forulus Larium clauſus adparet, pendente ex illo catenula cum flore, unde ſitulas vini, aliaque donaria ſuſpendebant.

Supra frontem Larundae conſpicitur pecten aureus fortaſſe, aut eburneus, Deae votivus, quo maxime officio Deas delectari reputabant. Apulejus Metam. IX.: *Venienti Deae* (mulieres) *obvium commonſtrarent obſequium, & quae pectines eburneos ferentes geſtu brachiorum, flexuque digitorum ornatum, atque oppexum crinium regalium fingerent*.

TAB.

Tab. CXIII. et CXIV.

MATRONAE SACRUM PARANTES.

IN Tabula priore media ſtat Materfamilias, quae, ſtola in caput reducta, adparatu ſacrificiali cum patera properat ad altare.

Matrona altera & ipſa ſtolata, non tamen velata, ſed tamquam caeremoniae miniſtra Vaſculum cilindricum adtollit, in quo thus, aut liquor aliquis ad ſacrum obeundum accomodatus continetur.

Poſtrema arculam cum infula elevat, in qua deferri ſolebat toga, adoleſcenti tribuenda, quae tamen ante Lares ſiſtebatur, & quodammodo dedicabatur, ut a Deo recipi videretur.

Subſequens Tabula CXIV. idem prorſus argumentum continet. Par numerus feminarum ſine tamen ſtola, quae exomide ſupra tunicam indutae, quo cultu in aeſtivis caloribus mulieres domi utebantur, procedunt ad ſacrum. Prior latum cingulum acupictum ſubſtinet; altera ſcriniolum fortaſſe cum nova toga; poſtrema locum ſacrificii deſignat.

Tab. CXV.

SACRA GENIO TIRONIS PERACTA, CUM TOGAM SUMERET.

MAgna Etruſcorum religio erga hominum Genios potiſſime ex hiſce Picturis adparet, de qua multa heic dicere oporteret, niſi peculiari Diſſertatione, quam habes ſuperius, *de Philoſopaih Etruſcorum* ea luculentius pertractaſſem.

Ne tamen ſicco pede has Tabulas tranſeamus, praemittendum eſt, Etruſcos praeter omnes populos diutius retinuiſſe primorum parentum traditionem circa Angelorum creationem in tempore, eorumque naturam, & officium quodammodo cuſtodiiſſe, quamquam diuturnitate temporis, & commercio cum corruptis nationibus eam fabulis obumbraverint. Qui rectius ſentiebant, non aliter, quam Etruſci de Angelis, quos Graeco vocabulo *Daemonas*, communi vero apud Italos *Genios* nuncuparunt. Sic de illis Proclus de Anim., & Daemon., ex verſione latina, quam ob Graeci textus defectum unice producimus: *Daemones igitur a prima vivifica idea ſortiti ſubſtantiam, atque inde velut ex*

fonte

fonte eſſentiam nacti ſunt animalem, & hanc quidem magis intellectualem, illi, qui majorem habent, perfectioremque ſubſtantiam, minus vero intellectualem, & potius rationalem, qui media poſſident. Ecce diviſio ordinum inter Angelos; Quae infra ſunt, a vera traditione declinant, redolentque commenta caecutientium Philoſophorum. Ex hiſce Geniis ſingulos ſingulis hominibus adſignarunt. Servius Æneid. VI. 743.: *Quum naſcimur, duos Genios ſortimur; unus eſt, qui hortatur ad bona, alter, qui depravat ad mala.*

Illis igitur alas adtribuerunt ad denotandam caeleſtem naturam, atque agilitatem, ſimulque officium, per quod hominum benefacta Deo exponunt, & inde bona cuncta reportant, ut ſcriptis commendavit Plutarchus in Libro *de facie in orbe Lunae*. En igitur in Tab. CXIII. Genius alatus ſedens, cui matrona ramum felicis arboris portans coronam obſert lemniſcatam, veluti votivam, dum dationis Togae ſolemnitas recurrit. Ramus vero ex illis eſt, qui terrae commendabantur, ut adoleſcerent Genio ſacri, & filii ſalutem auſpicarentur, quos propterea maximo ſtudio alere, quin & venerari ſolebant, quo proceſſit ſuperſtitio.

TAB. CXVI. CXVII. ET CXVIII.

EXEMPLA VIRORUM FORTIUM ADOLESCENTIBUS PROPOSITA, DUM TOGAM ADSUMERENT.

SOlebant Etruſci Tironibus, dum Togam ſumerent, Vaſa haec utenda largiri, in quibus Heroum, & Virorum fortium geſta eſſent expreſſa, ut, ineunte aetate, ad illorum aemulationem incenderentur, quod multiplici exemplo ex ſchedis meis comprobare potuiſſem. Aſt duo tantum ex Tabulis inciſis nunc profero, quorum primum exhibet nobis Herculem, qui, adſtante Minerva ejus clavam cuſtodiente, Iphitum Centaurum ſublatum e terra ſubfocat, atque ex muris Tirynthi dejectum oppreſſit. Tzetzes Chidiad. II. 36. verſ. 319.:

Ὁ τοῦ Εὐρύτου δ' Ἴφιτος ἐλθὼν πρὸς Ἡρακλέα,
Ἐκσώσαντα τὴν Ἄλκηστιν ἤδη, καὶ πεφθακότα,
Ἐξήτει ταύτας Ἡρακλεῖ. ὁ δὲ ξενίζει τοῦτον,
Κατασχεθεὶς μανίᾳ δὲ πάλιν, ὀργαῖς τῆς Ἥρας,
Ἐκ τῶν τειχῶν τῆς Τίρυνθος ῥίψας αὐτὸν, ανεῖλεν.

Euryti

Euryti autem filius Iphitus cum veniſſet ad Herculem,
Qui ſervaſſet Alceſtim jam, & mortuam,
Repetit has (filias) *ab Hercule; ille vero hunc hoſpitio exceptum,*
Oppreſſus furore rurſus, indignatione Junonis,
Ex muris Tirynthi cum projeciſſet, interfecit.

Eadem videas apud Apollodorum lib. II.: Ἡρακλῆς δὲ ὑπισχνεῖται, καὶ ξενίζει μὲν αὐτόν. μανεὶς δὲ αὖθις, ἀπὸ τῶν Τιρυνθίων ἔρριψεν αὐτὸν τειχῶν. *Hercules pollicetur, ipſumque* (Iphitum) *hoſpitio accepit; at furore iterum agitatus, hunc e Tirythiorum moenibus dejecit;* alibi vero ſubdit hac de cauſſa Mycenis exſulaſſe, & ab Euryſteo expiationem obtinuiſſe.

In Tab. CXVIII., dum Togatus munuſculum accipit, fortaſſe guttum, a viro exerto ex alio latere, virum barbarum intuemur ex Arimaſpiis, pugnantem cum Grypho, quam diſcordiam refert Plinius lib. VII. 2., & Helianus de Animal. lib. IV. 27. Haec fabula innotuit Etruſcis, unde frequenter argumentum ſculpturis ſuis deſumpſerunt, innotuit, inquam, ex carminibus redivivi Ariſtei, de quibus idem Tzetzes Chiliad. II. 50. verſ. 731.:

Μετὰ δ᾽ ἑπτὰ χρόνους φανεὶς πάλιν ὁ Ἀριστέας,
Ἔπειτα ἀριμάσπια λεγόμενα συγγράφει.

Poſt ſeptem annos conſpectus rurſus Ariſteas
Carmina, Arimaſpia quae dicuntur, conſcribit.

& Herodotus lib. IV. cap. XIII.: Ἔφη δὲ Ἀριστέης ὁ Καϋστροβίου, ἀνὴρ Προκοννήσιος, ποιέων ἔπεα, ἀπικέσθαι ἐς Ἰσσηδόνας, φοιβόλαμπτος γενόμενος. Ἰσσηδόνων δ᾽ ὑπεροικέειν Ἀριμασποὺς, ἄνδρας μουνοφθάλμους. ὑπὲρ δὲ τουτέων, τοὺς χρυσοφύλακας γρύπας. τουτέων δὲ, τοὺς ὑπερβορέους, κατήκοντας ἐπὶ θάλασσαν. τούτους ὦν πάντας, πλὴν Ὑπερβορέων, ἀρξάντων Ἀριμασπῶν, αἰεὶ τοῖσι πλησιοχώροισι ἐπιτίθεσθαι. *Ariſteus quidam Proconneſius verſificator, Caſtrobii filius memorat, ſe Phoebi inſtinctu veniſſe ad Iſſedonas; & ſupra hos incolere Arimaſpos, viros unoculos; & item ſupra hos eſſe Gryphas, qui aurum adſervent; ac ſuper hos eſſe Hyperboreos,* id eſt ſuper aquilonares, *ad mare pertingentes. Hos autem omnes, praeter Hyperboreos, Arimaſpis auctoribus, aſſidue finitimis bellum inferre.* Paullo poſt ſubdit, famam illorum carminum deveniſſe, ac invaluiſſe apud Metapontinos, ex quibus facile in Etruriam diffuſa eſt. Ornatus barbaricus in cauſſa eſt, cur ab hac fabula Fineum ab Harpiis diſcerptum excludam, de quo Apollon. Argonaut. II.

CLASSIS

CLASSIS X.

INITIA BACCHI.

TAB. CXIX.

INITIA BACCHI.

ARduum opus adgredimur explicaturi ſecretiſſima Bacchi Myſteria, quorum maximum ſilentium fuit apud Scriptores; Artifices vero nihil penitus in Sculpturis, Picturiſque ad nos tranſmiſerunt, niſi umbras quaſdam, & allegoricas imagines, quarum veritatem deſiderandam potius, quam adſequendam caecutientes perſcrutamur. In hac Tabula, quam extremam producimus ex his, quae pertinent ad Togae traditionem, principium adtingimus Orgiorum, nec abs re alienum; nam facile ex ſequentibus obſervabimus, Matresfamilias, quae praeſertim Bacchis nomen dediſſent, filios ſuos cum primum Togam accepiſſent, Orgiis initiaſſe; Lege enim cevebatur, ne provectioris aetatis admitterentur. Livius lib. XXIX.: *Biennio proximo inſtitutum eſſe, ne quis major viginti annis initiaretur; captari aetates, & erroris, & ſtupri patientes.*

Principium Sacri ab expiatione, ut in ceteris initiis, incipiebat. Gratius Cyneget. 446.:

Emicat ipſe, manu ramum pallente ſacerdos
Termiteum quatiens: procul hinc extorribus ire
Edico, praeſente Deo, praeſentibus aris;
Queis ſcelus, aut manibus ſumptum, aut pectore motum eſt,
Inclamat: cecidere animis trepidantia membra.

Hinc in praeſenti Pictura Bacchus ramum ſtringens cum ſitula ad adſperſiones exſequendas innititur fonti, haud obſcure indicans, a purificatione, & lotione, ut in ceteris ſacris, eſſe incipiendum, in cujus inſtituti teſtimonium adducimus Pauſaniae locum in Boeoticis lib. IX., qui ait: Τὰς γυναῖκας φασὶ τὰς Ταναγραίων πρώτας Διονύσου τὰ ὄργια μυηθείσας ἐπὶ θάλασσαν καταβῆναι καθαρσίων ἕινεκα. *Tanagraeorum primarias Matronas arcanis Liberi Patris initiatas ad mare, quo expiationis cauſſa lavarent, deſcendiſſe.* Velum brachio involutum ad ſacra pertinet; eſt enim

ſuperhumerale illud, quo in Sacris Bacchi perficiendis initiati velabantur, quod infra ſaepiſſime obſervabimus.

Mulier Antiſtita ſedet cum flabello, quod faciei praeponebant in adventu, ut ſtulte putabant, Dei. Haec vero Ciſtam ſacram oculis anteponit, ex qua proſiliunt cordium imagines, quae Clemente Alexandr. in principio Cohortation. ad Gentes Cap. II. enumerantur in Ciſtae Bacchicae ſupellectile: Καρδίαι, νάρθηκεςτε, καὶ κιττοί. *Corda, ferulae, & hederae*; Si tamen καρδίαι legendum eſt; nam Fed. Morellius legendum ſuſpicatur κράδαι, ut de ramis ficulneis intelligatur, quia Clemens paullo poſt κλάδων συκῆς inter Dionyſiaca refert; quam emendationem fecit etiam Reineſius Variar. Lection. lib. I. cap. 23. Ceterum ibidem inſtat etiam avicula, quam ob ſui tenuitatem fefelliſſe Pictorem autumo.

TAB. CXX. ET CXXI.
IDEM ARGUMENTUM.

IN priore ex his Tabulis Bacchum praecipue prodit vitis bifida, quam ipſi tribuerunt, ex quo mares cum feminis ad ſacra recondita admiſſi ſunt. Livius lib. XXIX.: *Primo ſacrarium id feminarum fuiſſe, nec quemquam virum eo admitti ſolitum, Sacerdotes invicem Matronas creari ſolitas. Pacullam, Miniam, Campanam Sacerdotem omnia, tamquam Deûm monitu, immutaſſe, nam & viros eam primam ſuos filios initiaſſe Minium, & Herennium Cerrinios.... ex quo in promiſcuo ſacra ſint, & permixti viri feminis, & noctis licentia acceſſerit.*

Situla, quam Bacchus heic, & alibi ſubſtinet, non modo vini donum ab eo hominibus conceſſum ſignificat, verum etiam illud aquae vas, quod ad purificationem in Orgiis praeferebatur. Plutarch. de Iſid., & Oſirid.: Τῶν ἱερῶν ἀεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ. *Ante ſacra in pompa ſemper praecedit Vas aquarum in honorem Dei.* Ramus vero cum Amphora vini ducebatur in pompa. Plutarchus de cupid. Divitiarum: Ἡ πάτριος τῶν Διονυσίων ἑορτὴ τὸ παλαιὸν ἐπέμπετο δημοτικῶς, καὶ ἱλαρῶς. Ἀμφορεὺς οἴνου, καὶ κληματὶς εἶτα τράγον τὶς εἷλκεν. *Accepta a majoribus Bacchanalium feſtivitas antiquitus plebejo more, & hilari agebatur; Amphora vini, & palmitis ſarmentum, tunc aliquis caprum trahebat.* Palmes iſte ille erat, quo Antiſtita profanos e conſpectu abigebat, de

quo

quo Gratius loco cit., illumque humi defigebat, quousque alienis adcedere liceret. Statius Achilleid. I. vers. 591.:

Lex procul ire mares, iterat praecepta verendus
Ductor, inaccessumque viris edicitur antrum.
Nec satis est; stat sine dato metuenda sacerdos,
Exploratque aditus, ne quis temerator oberret.

TAB. CXXII. CXXIII. ET CXXIV.

INITIA BACCHI.

TAbulas hasce maximi facio; ex his enim caeremoniam aliquam adsequimur, qua Adolescentes ad Mysteria Bacchi primum admittebantur. Post balneum, de quo infra ad Tabulam CLXXII., sacrificium praemittere oportebat, hirco, aut agnis jugulatis, de quorum pellibus super nudo vestiebantur, ut nihil humani Tiro praeseferret. Euripides in Bacchis vers. 176.:

Θύρσους ἀνάπτειν, καὶ νεβρῶν δορὰς ἔχειν,
Στεφανοῦν τε κρᾶτα κισσίνοις βλαστήμασιν.

Thyrsos sustollere, & hinnulorum pelles gestare,
Et coronare caput hederaceis frondibus,

& Dionysius Halicarnass. VII.: Σκευαὶ δὲ αὐτοῖς ἦσαν τοῖς μὲν, εἰς Σιληνοὺς εἰκασθεῖσι, μαλλωτοὶ χιτῶνες, οὓς ἔνιοι χορταίους καλοῦσι, καὶ περιβόλαια ἐκ παντὸς ἄνθους. τοῖς δὲ εἰς Σατύρους, περιζώματα καὶ δοραὶ τράγων, καὶ ὀρθότριχες ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς φόβαι, καὶ ὅσα τούτοις ὅμοια. *E quibus, qui Silenos repraesentabant, amicti erant tunicis villosis, quas quidem adpellabant scorteas, amiculisque consertis ex omni florum genere; qui vero Satyrorum speciem induerant, hircinis se pellibus incinxerant, horrentesque in capite gerebant setas, & alia his similia.* Tum Hesychius, & Suidas in Διὸς κώδια manifeste testantur, initiatos pellibus hostiarum, & expiatos indui consuevisse, eaque pedibus subposuisse, quod incunctanter evincitur ex Tab. XXIII., in qua puer calceatus adparet. Audiatur Hesichius: Διοσκώλιον (lege Διὸς κώδιον) οὕτως ἔλεγον οὗτοι. ἱερεῖον ἐτίθετο, ἐφ' οὗ οἱ καθαιρόμενοι ἕστηκεσαν τῷ ἀριστερῷ ποδί. Τινὲς δὲ, τὸ μέγα καὶ τέλειον. ὁ δὲ Πολέμων, τὸ ἐκ τοῦ Διῒ τεθυμένου ἱερεῖον. *Jovis Corium sic dixerunt hi. Victima ponebatur, super quam mundati stabant sinistro pede. Aliqui vero*

magnam, & *perfectam*. *Polemon vero victimam ex aliqua re*, *quae Jovi esset sacrificata*. Dein Suidas: Διὸς Κώδιον. Οὗ τὸ ἱερεῖον Διῒ τέθυται. Θύουσί τε τῷ μαιλιχίῳ, καὶ τῷ κτησίῳ Διΐ. τὰ δὲ κώδια τούτων φυλάσσουσι, Δία προσαγορεύοντες. Χρῶνται δ' αὐτοῖς, οἵ τε σκιροφορίων τὴν πομπὴν στέλλοντες, καὶ ὁ δᾳδοῦχος ἐν Ἐλευσῖνι. Καὶ ἄλλοί τινὲς πρὸς τοὺς καθαρμοὺς ὑποστρωννύοντες αὐτὰ τοῖς ποσὶ τῶν ἐναγῶν. *Jovis Corium*. *Victimae*, *quae Jovi fuit immolata*, *pellis*. *Imolabant autem Jovi Milichio*, & *Ctesio*. *Harum vero pelles servabant*, *eas Jovem adpellantes*. *His autem utebantur* & *illi*, *qui Scirophoriorum pompam ornabant*, & *Daduchus in Eleusiniis*, & *alii quidam ad lustrationem*, *eas substernentes pedibus eorum*, *qui piaculo erant polluti*. Haec luculentius firmanda censui; nam aliquando repertis Romae simulacris e nigro marmore, toto corpore villosis, aliud longe exprimere visa sunt, nempe barbaros captivos, quos nulla umquam terrarum plaga generavit. Adde Virg. Aeneid. VIII. 281.:

Jamque Sacerdotes, *primusque Potitius ibant*
Pellibus in morem cincti.

Qui hujusmodi cultu in Tab. XXII. Bacchas sequitur, porcum gestans implet officium sibi injunctum in ipso aditu initiorum. Sic Trygaeus apud Aristophanem in Pace vers. 316.:

Ἐς χοιρίδιόν μοι νῦν δάνεισον τρεῖς δραχμάς.
Δεῖ γάρ μυηθῆναί με πρὶν τεθνηκέναι.
Ad porcum mihi nunc foenera tres drachmas;
Oportet enim initiari me, *antequam moriar*,

ubi Scholiastes: Τοῖς μυουμένοις ἐστὶν ἔθος, χοιρίδιον θύειν ἐξ ἀνάγκης. *Initiatis mos est porcum mactare ex necessitate*. Rursusque in Acharnensibus vers. 748.:

Κηρύξατε φωνὰν χοιρίων μυστηρικῶν.
Et cantate vocem porcellorum sacrificabilium.

& vers. 765.:

Δι. Τί δαὶ φέρεις; Με. Χοίρους ἐγώνγα μυστικάς.
Di. *Quid igitur fers?* Me. *Porcas ego sacrificabiles*.

Id vero non in ceteris tantum initiis, sed praesertim in Bacchicis factum fuisse intelligo non tantum hujus Tabulae testimonio, sed etiam ex alia CLXVIII.

Ceterum haec initia avidissime adpetebantur, nam duo potissima bene-

beneficia praeſtare credebantur. Primum quidem, ut ait Cicero de Leg. II. 14.: *Nihil melius iſtis myſteriis, quibus ex agreſti, immanique vita exculti ad humanitatem, & mitigati ſumus, initiaque, ut adpellantur, ita revera principia vitae cognovimus.* Et Servius in I. Georg. 166.: *Liberi patris ſacra ad purgationem animae pertinebant*; & Arrianus in Epict. III. cap. 21. de myſteriis loquens: Ἐπὶ παιδείᾳ, καὶ ἐπανορθώσει τοῦ βίου κατεστάθη πάντα ταῦτα ὑπὸ τῶν παλαιῶν. *Ad diſciplinam, & emendationem vitae conſtituta ſunt haec omnia ab antiquis*, ita ut qui Ciceronis vitam ex ejus ſcriptis deduxerunt, duo haec beneficia ex initiis ipſum conſequutum eſſe, conlegerint; Deum nempe, niſi unum, eſſe non poſſe, animamque hominis immortalem.

Alterum, quod ſibi promittebant, erat beatitudo poſt mortem. Iſocrates in Panegyr. enumerans initiorum beneficia haec habet: Περὶ τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς, καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος, ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν. *De vitae fine, & univerſo aevo dulciores ſpes* (initia) *habent*; & Ariſtides in Eleuſiniis: Ἀλλὰ μὲν τότε κέρδος τῆς πανηγύρεως, οὐχ᾽ ὅσον ἡ παροῦσα εὐθυμία, οὐδ᾽ αἱ τοῦ προτέρου χρόνου δυσκολιῶν λύσεις, καὶ ἀπαλλαγαί. ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς τελευτῆς ἡδίους ἔχειν τὰς ἐλπίδας, ὡς ἄμεινον διάξοντας. *Attamen fructum hujus ſacri adeo non praeſens laetitia, neque praecedentis temporis vexationum remiſſiones, & diſpulſiones; ſed & de morte dulciores fovere ſpes, tamquam melius peracturos.*

In Parergo hujus Tabulae CXXII. videas Juvenem nudum, toga nondum ſuſcepta, coronare vitem ſacram, memorem hujus celebritatis ſibi impoſterum maxime venerandam, ejuſque Genio ſacram, e cujus felici incremento auſpicium propriae fortunae ſibi foret deſumendum.

In ſequente Tabula CXXIII. Antiſtita termitem ſacrum tenens puerum adloquitur hircina pelle indutum, qui lyram ſiniſtra, dextera vero plectrum ſubſtinet. Nihil horridius illius larva penitus ſatyrica, & ampliſſime barbata. Jam ille primum gradum, qui ad Satyros pertinebat, adſequutus eſt, vitta purpurea coronatus: Purpurea, inquam, nam in ſchedis ad me tranſmiſſis colores ſinguli ad vivum expreſſi ſunt. Vitta etiam, quam Antiſtita ſubſtinet, & quae de Lyra dependet, & Satyriſci ima tibiarum ex ſatura rubrica conſtat, albis tamen ligaminibus. Hic color legitimus putabatur in Bacchanalibus. Statius Achill. I.:

Cinxit purpureis flaventia tempora vittis.

Nebride

Nebride puer praecinctus eſt maculoſa ob Bacchum Aſtrorum dominum. Diodorus Sicul. lib. I.: Φασὶ δὲ τινες καὶ τὸ ἔναμμα αὐτῷ τὸ τῆς νεβρίδος ἀπὸ τῆς τῶν ἄστρων ποικιλίας περιῆφθαι. *Nonnulli quoque pelle hinnulea, quae Nebris dicitur, Bacchum amictum eſſe dicunt, ut aſtrorum varietas ſignificetur.*

Ex Larario Dea Libera cum ſceptro ſacrum id proſpectat, & numine ſuo confirmat.

In Tabula CXXIV. eadem Antiſtita, velatis manibus, & neſcio quid occultans, Juvenem jam maturae aetatis adloquitur, veluti quae majora ſecreta aperiat. Non enim univerſa ſecreta cum Tironibus communicabantur, niſi per gradus profeciſſent. Horum tres omnino cognovimus; Satyriſcorum, qui nuper ab inculta, &, ut ajebant, ferina vitae ratione advenerunt, in qua ſub capripedum Satyrorum ſpecie in Bacchanalibus ſculptis nobis objiciuntur. Sic aliquantum probati, veluti cultiores, depoſita hircina ſpecie, ſed tantum relicta cauda, inter Faunos cenſebantur. Plutarchus in vita Antonii: Εἰς γοῦν Ἔφεσον εἰσιόντος αὐτοῦ, γυναῖκες μὲν εἰς Βάκχας, ἄνδρες δὲ καὶ παῖδες εἰς Σατύρους, καὶ Πᾶνας ἡγοῦντο διεσκευασμένοι. *Cum igitur ipſe Epheſum ingreſſus eſt, mulieres quidem Baccharum habitu, viri autem, & pueri Satyrorum, atque Panum cultu ornati praeceſſerunt.* En igitur diſtinctio puerorum, & virorum in Satyros minoris ordinis, & Panes ſuperioris diſtincti. Hos infra ſaepe obcurrentes obſervabimus. Adde & Catullum de Nupt. Pel., & Thetid. LXII. verſ. 251.:

At parte ex alia florens volitabat Jacchus
Cum Thiaſo Satyrorum, & Nyſigenis Silenis.

TAB. CXXV. ET CXXVI.

BACCHI ANTISTITA CUM SATYRISCO.

SEdet Miniſtra Sacrorum Bacchicorum ſuper Ciſta, in qua arcana ſupellex continetur, veluti in teſtimonium poteſtatis, & Satyriſco adſtanti myſteria altiora exponit; veluti cui jam emerito progreſſus ad altiorem gradum debeatur.

In

In altera parte hujus Vasis Tab. CXXVI. idem juvenis, non jam caprinis pedibus, sed humanis procumbit ad pedes Sacerdotriae, ac si sacrum aliquid sit accepturus. At illa, tamquam oestro conrepta, & stupens *Cistam Sacrorum capacem* supra caput Juvenis adtollit, ac si divinum quiddam in ejus animum infundat. Horrorem sacrum hirtis capillis testatur, quo se Deo plenam, atque in enthusiasmum actam significat. Virgilius Aeneid. VI. 47.:

non vultus, non color unus,
Non comptae mansere comae;

& Senec. in Agamem.:

Silet repente Phoebus, & pallor genas,
Creberque totum possidet corpus tremor.
Stetere vittae, mollis horrescit coma.

TAB. CXXVII. ET CXXVIII.

IDEM ARGUMENTUM.

Recentes Fauni secreta mysteriorum intenti accipiunt, & in ima parte prioris Vasculi, adtonito Faunisco, stans Sacerdos tesseram quamdam illi obfert, veluti pignus religionis, quae cordis imaginem refert; unam ex illis, quae in Cista servabantur, ut refert Clem. Alexandr. alias citatus ad Tab. CXIX.

In sequente Tab. CXXVIII. idem Faunus adstat coram Antistita, & obsequii gratia faciei vannum anteponit, & arrectis auribus illam dicentem auscultat. Sic Horatius Bacchum mysteria sua asseclis tradentem inducit lib. II. 19.:

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, credite posteri,
Nymphasque discentes, & aures
Capripedum Satyrorum acutas.

TAB.

Tab. CXXIX et CXXX.

IDEM ARGUMENTUM.

Baccha, quae Faunum instituit, sinistra manu crepitaculum adtollit longo manubrio instructum, & duabus ansis hinc inde munitum, minutis circumcirca tintinnabulis suspensis, quo in altum elevato, & alterno motu concusso, principium pompae indicebatur.

Manu dextera lancem adtollit cum tribus pomulis, quem numerum maxime sacrum habebant asseclae Bacchi, ob triennium ab eo insumptum in Indica expeditione. Ovidius Metam. IX.:

Ismariae celebrant reperita triennia Bacchae;

& Diodor. Sic. lib. IV. 3. de Baccho: Στρατεύσαντα δ' εἰς τὴν ἰνδικὴν τριετεῖ χρόνῳ, τὴν ἐπάνοδον εἰς τὴν Βοιωτίαν ποιήσασθαι, κομίζοντα μὲν λαφύρων ἀξιολόγων πλῆθος, καταγαγεῖν δὲ πρῶτον τῶν ἁπάντων θρίαμβον ἐπ' ἐλέφαντος ἰνδικοῦ. Καὶ τοὺς μὲν Βοιωτοὺς, καὶ τοὺς ἄλλους ἕλληνας, καὶ θρᾶκας ἀπομνημονεύοντας τῆς κατὰ τὴν ἰνδικὴν στρατείας, καταδεῖξαι τριετηρίδας θυσίας Διονύσῳ. *Cum in expeditione Indica triennium consumpsisset, in Boeotiam cum multis, opimisque spoliis est regressus, & primus omnium super Elephante Indico triumphum egit. Boeoti igitur, ceterique Graeci, & Thraces ad conservandam Indicae expeditionis memoriam Trieterica* (idest triennia) *Bacchi sacra instituerunt*.

Infra pendet globus decussatus, quem nihil continere, alibi indicavimus, nisi praetextam emeritam, & in globum arcte constrictam, quae Diis votiva suspendebatur, Laribus, Juventae, & Bacchae, seu Deae Liberae, cum, in Liberalibus sumpta Toga, adolescens Bacchis initiaretur. Globum hunc conspicuis rugis undique tumentem ex panni alicujus involucro constare, manifestissime evincitur ex aliis similibus Picturis inter meas schedas.

Ille speculum anteponit gemmatum Deae, & sertum ex tribus floribus, ejusque corona, qua ejus caput incinctum est, tribus pomulis supra frontem adornatur. Termes post Juvenis terga consurgens tam in hac, quam in sequenti Tabula arbusculam sacram, de qua saepe dictum est, designat, sive potius indicium est loci, quo profanis adcedere non liceret.

In

In Tabula CXXX. adſiſtunt eidem caeremoniae Antiſtitae geminae, ſed ordinis inferioris, quae Maximae Sacerdoti miniſtrant una cum face, quae ad purgationem pertinet; altera cum Thyrſo, in cujus vertice nux pinea conſpicitur, quae etiam duplici in loco pendet parieti ſuſpenſa.

CLASSIS XI.

SACRA DEAE LIBERAE.

TAB. CXXXI. CXXXII. CXXXIII. ET CXXXIV.

BACCHA FURENS.

IN ſecreto Bacchi coetu, ex quo viros admiſit, Rex, ejuſque conjux Regina ſacrorum conſtituebatur, ut conſtat ex Demoſthene Orat. contra Neaeram: Τὰς δὲ θυσίας ἁπάσας ὁ βασιλεὺς ἔθυε, καὶ τὰς σεμνοτάτας, καὶ ἀῤῥήτους ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἐποίει εἰκότως, βασίλισσα οὖσα. *Sacra autem Rex obibat omnia, eorumque religioſiſſima, & arcana uxor ejus curabat; idque merito, cum Regina eſſet*. Uterque Bacchico cultu adornatus in ſacris incedebat, ut Bacchum, & Deam Liberam ad vivum exprimeret. Ita prorſus Matronarum coetus huic cultui addictus Baccharum indumentum, & ſpeciem induebat. Livius lib. XXIX.: *Matronas Baccharum habitu, crinibus paſſis, cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim*. Ita aſſeclae juxta gradum provectionis. Dionyſius Hallicarnaſs. alias citatus lib. VII.: Σκευαὶ δὲ αὐτοῖς ἦσαν, τοῖς μὲν εἰς Σιληνοὺς εἰκασθεῖσι, μαλλωτοὶ χιτῶνες, οὓς ἔνιοι χορταίους καλοῦσι, καὶ περιβόλαια ἐκ παντὸς ἄνθους. Τοῖς δὲ εἰς Σατύρους, περιζώματα καὶ δοραὶ τράγων, καὶ ὀρθότριχες ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς φόβαι, καὶ ὅσα τούτοις ὅμοια. *E quibus, qui Silenos repraeſentabant, amicti erant tunicis villoſis, quas quidam adpellant ſcorteas, amiculiſque conſertis ex omni florum genere; qui vero Satyrorum ſpeciem induerant, hircinis ſe pellibus incinxerat, horrenteſque in capite gerebant ſetas, & alia his ſimilia*. Quin & larvatos ſupra vidimus in Tabulis antecedentibus. Quoties igitur in ſequentibus Bacchum, aut Baccham intuebimur, non Deum, aut Deam referre reputemus, ſed maximos hujus ſacri Antiſtites, & Choriphaeos.

In hac igitur Tab. CXXXI. Sacrorum Reginam intuemur, quae oeſtro, & furore percita ſurgit e ſella, & Ciſtam ſacram adtollit. Statius Thebaid. V.:

inſano veluti Theumeſia Thyas
Rapta Deo, cum ſacra vocant, Idaeaque ſuadet
Buxus, & a ſummis auditus montibus Evan.

Virgilius Aeneid. IV. 301.:

qualis commotis excita ſacris
Thyas, ubi audito ſtimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cythaeron;

ubi Servius: *Moveri enim ſacra dicebantur, cum ſolemnibus diebus aperiebantur templa, inſtaurandi ſacrificii cauſſa.*

Supra tunicam triplici tunicula induta eſt tenuiſſima ob myſticum numerum, de quo ſupra. Inſtrumentum parieti ſuſpenſum non pateram, cujus nullus uſus erat in Bacchanalibus, ſed crepitaculum refert, de quo ſupra.

In Tabula CXXXII. iterum commoveri ſacra obſervamus, aperto Sacrario, unde furens Antiſtita, ſolutis crinibus, cum Thyrſo exſilit, arcanum quidpiam dextera adtollens ad pompam excitandam.

Caput Mulieris mitra redimitum in parte Vaſis adverſa ſchema eſt ad vivum exprimens vultum ipſius magnae Sacerdotis; nam iſthaec Vaſa non tantum in uſum opportunum ſacrificii confici ſolebant, verum etiam, ut monumentum ſuſceptae dignitatis domi conſervarent.

Quae ſequitur numero CXXXIII., diſtincta eadem fere nobis obiicit, quae antecedens, diſcrepantibus tantum adtributis. Baccha non vannum, ſed Arcam adtollit pomulis, & floribus ornatam. Euripides in Jone verſ. 1337.:

Ὁρᾷς τό δ' ἄγγος χερὸς ὑπ' ἀγκάλαις ἐμαῖς;
Ὁρῶ παλαιὰν ἀντίπηγ' ἐν ςέμμασιν.
Vides hanc ciſtam manus brachiis ſub meis?
Video antiquam ciſtam, involutam coronis.

Siniſtra coronam Etruſcam gemmatam, & lemniſcatam ſubſtinet, e qua pendet vitta ſacra Bacchantum peculiaris. E regione conſpicitur *myſtica vannus Jacchi*, cribrum, quod aliquando ad dignitatem ex aureis filis conſtabat. Apulejus Metamorph. XI.: *Quintus auream vannum*

num aureis congeſtam ramulis ferebat. Ratio hujus adtributi multiplex fuit, prima, quod Bacchus infans in vanno exceptus ſit, quod fertilitatis, & opulentiae ſpecimen praeſeferret, ut Libro priore adnotavimus. Potiſſima vero, quod animarum purgationem denotaret, quam in hiſce Sacris inquirebant. Servius in I. Georg. 166.: *Myſtica Jacchi ideo ait, quod Liberi patris ſacra ad purgationem animae pertinebant, & ſic homines ejus myſteriis purgabantur, ſicut vannis frumenta purgantur*. Hinc *Λικνίτου* *Licniti* Epitheton ſortitus eſt in Hymno apud Orpheum.

In Tabula CXXXIV. eadem ſive Dea, ſive Antiſtita ſedens crepitaculum ſiniſtra, dextera vero tympanum adtollit; nullis enim ſegmentis diſtinctum eſt, quorum indicio vannum eſſe reputemus. Tympanis enim maxima ſtetit auctoritas in Bacchanalibus, quorum licentia horum ſtrepitu, & ululatibus tegebatur. Ovidius Metam. IV. 30.:

Quacumque ingrederis, clamor juvenilis, & una
Femineae voces, impulſaque tympana palmis,
Concavaque aera ſonant, longoque foramine buxus.

Tab. CXXXV. CXXXVI. CXXXVII. CXXXVIII. et CXXXIX.

IDEM ARGUMENTUM.

UNiverſa haec Vaſa ad uſum Bacchicorum Myſteriorum adornata in gratiam Matronarum, quae ſacris praeficerentur, imaginem Deae praeſeferunt, quam cultu, & poteſtate imitabantur. Quandoque ipſi Antiſtitae adſtant Puellae, veluti poſtulantes admitti ad participationem ſacrorum, ut in Tabulis CXXXV. CXXXVI. CXXXVII., & CXXXVIII., in quibus eadem prorſus ſacra inſignia videre eſt, quae in ſuperioribus obſervavimus.

In Tabula vero CXXXVI. ſingulare quid notandum obcurrit, quod nempe Dea Libera ſedens quatuor globulos e manu, veluti talos, in altum projiciat. Horum ſignificationem tentabimus infra in notis ad Tabulam CXLII.

In poſtrema CXXXIX. geminae ex Bacchi comitibus nudae ſibi

invicem obcurrunt, cornua potoria comparantes, ex quibus potiſſime in his ſacris utebantur more antiquo, praecipue ob Bacchum, quem διкέρωτα *cornua habentem* vocat Orpheus in Hymno, & alibi Ταυρόκερως *Tauri cornua habens* dicitur, & Horatius II. 19.:

Te vidit inſons Cerberus aureo
Cornu decorum.

Nonnus vero expreſſe tradit, Bacchum ex cornu bibere conſueviſſe Dionyſiac. XII. 201.:

Καὶ γλυκερὸν ποτὸν εὗρε. καὶ οἰνοχύτου Διονύσου
Λευκὰ διαινομένων ἐξυθαίνετο δάκτυλα χειρῶν.
Καὶ δέπας ἀγκύλον ἔσχε βοὸς κέρας. ἡδυπότου δὲ
Χείλεσιν ἀκροτάτοισιν ἐγεύσατο Βάκχος ἐέρσης.

Et dulcem potum invenit, & vinum fundentis Bacchi
Albi madefactarum rubebant digiti manuum,
Et poculum curvum habuit bovis cornu, dulcem potum habentem vero
Labiis ſummis guſtabat Bacchus rorem.

Tab. CXL. et CXLI.
IDEM ARGUMENTUM.

Sedet ante aram Dea Libera cingulo gemmato conſpicua. Antiſtitum ſedes in Sacris Bacchi non aliter locabantur. Sic Hypſipyle Thoantem patrem ſuum Bacchi ſpolia uſurpantem in templo conlocavit apud Valerium Flaccum Argon. II.:

Tacita pavidum tunc ſede locavit
Sub pedibus, dextraque Dei. Latet ille receptus
Veſte ſacra.

Manu ſubſtinet haſtam Bacchicam, cui corona lemniſcata imminet, loco nucis pineae, idque ad oſtendationem ſupremae dignitatis.

A tergo adcedit pari cultu redimita Fortuna ſcalam proferens, ſingulare ejus ſymbolum, ut demonſtravimus Libro ſuperiore, quae ſiniſtra vittam ſacram in tres ſinus expanſam ſubſtinet; Fortunam enim Baccho libenter conjungebant; illum enim ſic ſalutat Orpheus in Hymno Lyſii Lenaei: εὔκαρπε, πολυγηθέα καρπὸν ἀέξων. *Fructuoſe, laetum fructum augens.*

Sedet

Sedet Antiſtita in Tab. CXLI. libum adtollens in cratere, unde pyramides exſiliunt. Has inter ſecreta Ciſtarum conlocat Clemens Alexandr. Exhortation. ad Gentes Cap. II.: Οὐ σησαμαῖ ταῦτα, καὶ πυραμίδες, καὶ τολύπαι; *An non ea ſunt ſeſamae, & pyramides, & glomi?*

Haec Baccham venientem excipit, quae facem ardentem praeſefer, quam in his ſacris interveniſſe, notat Livius loc. cit.: *Cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim*. Laeva manu ſubſtinet ſcuticam, cujuſmodi adhibebantur in Lupercalibus. Plutarchus Quaeſtion. Roman. LXVII.: Οἱ τοῖς λουπερκαλίοις γυμνοὶ διαθέοντες ἐν περιζώμασι, καὶ καθικνούμενοι σκύτει τῶν ἀπαντώντων. *Qui Lupercalibus nudi, ſoliſque praecincti ſubligaculis diſcurrant, & ſcutica obvios feriant*. His vero ictibus Matronae libenter manus exponebant, ut foecundae efficerentur. Ovidius Faſt. II.:

Nupta quid exſpectas? Non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe foecundae patienter verbera dextrae,
Jam ſocer optati nomen habebit avi.

Terni flores pendent e pariete. Myſtici numeri rationem alibi tradidimus. Flores maxime conveniebant Baccho, qui Ἀνθεὺς *Floridi* nomen ſortitus eſt apud Phlyenſes, teſte Pauſania in Atticis, quin & apud Latinos. Catullus LXIII. 251.:

At parte ex alia florens volitabat Jacchus.

TAB. CXLII. ET CXLIII.
IDEM ARGUMENTUM.

SEdet Dea Libera ſeminuda, paſſis crinibus, & frondentem thyrſum ſubſtinens; tum lancem adtollit duobus pomulis refertum.

Totidem defert Baccha in diſco, ternos vero ſuper arculam alia Baccha in oppoſito angulo, quae coronam Antiſtitae videtur dedicare. Ternarius numerus ad Trieterica ſpectat, quaternarius vero in hac Tabula diviſus in duas partes, integer vero in Tab. CXXXVIII., ſi divinari licet, ad gradus caeremoniae, ſive, ut ita dicam, ad ſectiones totius pompae pertinet. Nec fortaſſe vagor in incertum, opitulan-

tulante auctoritate Statii in Tebaid. II., ubi pompas hasce, licet clamorosas, non tamen tumultuarias fuisse testatur, quinimmo ex regularibus quibusdam progressibus, regressibus, excursibus, & occursibus a lege praescriptis, & praecipue *quaterno numero* constitisse:

Tamque movent gressus, thyasisque Ismenia buxus,
Signa dedit, quater *aera Rheae*, quater *Evia pulsant*
Terga manu; variosque quater *legere recursus.*
Tunc thyrsos pariterque levant, pariterque reponunt,
Multiplicantque gradum, modo quo Curetes in actu,
Quoque pii Samothraces eunt, nunc obvia versae
Pectine Amazonio, modo quo citat orbe Lacaenas
Delia, plaudentesque suis intorquet amyclis.

Geminae palmulae fructibus refertae, quae in duobus oppositis hujus Tabulae angulis exsurgunt, indicant termites illos, per quos locus sacer, & inaccessibilis profanis designabatur. *Termes ramus ex arbore decerptus cum fructu, nec foliis repletus, nec nimis glaber, qui quoniam in divisione agrorum, antequam metae ponerentur, figi solebat.*

Ministra Sacrorum, sed inferioris ordinis, nam unica tantum tunica velata est, speculum, & crotalum gerit. Fauniscus vannum anteponens in conspectu supremae Antistitis, quae Deam repraesentabat, vinum adfert.

In aversa parte hujus Vasis, quae numero CXLIII. distincta est, Sacrarium conspicitur, sed adhuc clausum, in cujus valvis flos amplissimus expressus est ad simplicem ornatum, haud obscuro indicio repraesentari in hoc schemate simplicem adparatum rei sacrae, nondum incoeptae, Deosque ad illud adcedentes. Primus ex alto comparet Bacchus cum vite bifida, & corona gemmata. Succedit Apollo cum lauri ramo, ex alia parte unus ex Bacchi Comitibus hastam substinet, in cujus summa parte gemina folia ex planta cinarae luxuriantur, cum velo sacro e brachiis pendente, quo in Bacchicis Sacris potissime utebantur, & vittam, qua caput cingat, substollit.

Ultima succedit Dea Libera, brachiis linteo sacro obvelatis, cum myrtea corona, & lance. Myrtus enim Baccho sacra erat. Aristophanes in Ranis vers. 327.:

Ἰάκχ'

Ἰάκχ᾽, ὦ Ἰάκχε,
Ἐλθὲ τόνδ᾽ ἀνὰ λειμῶνα χορεύσων
Ὁσίους ἐς θιασώτας,
Πολύκαρπον μὲν τινάσσων
Ἀμφὶ κρατὶ σῷ βρύοντα
Στέφανον μύρτων.

Jacche, o Jacche,
Veni hoc in Pratum tripudiaturus
Sacros inter ſaltatores,
Multifructus quidem quatiens
Circa caput tuum emanantem
Coronam myrthis.

In ima parte Lar cum corona Etruſca lancem adtollit cum placenta, unde producuntur gemini ramuſculi roris marini, heic craſſiore ſtilo expreſſi; quae adtributa Larem deſignant, ut Libro ſuperiore adnotavimus. Ipſe etiam Bacchico velamine brachiis ſuperinducto conſpicuus eſt.

E regione obcurrit Larunda cum flabello, & arca ſacrorum. Senis actoribus reſpondent ſex vittae ex genere Bacchicarum, parieti ſuſpenſae, ut ſuam quiſque ſortiatur. Duo ex hiſce vittis, quas muliebres adpellarem, lacinias habent, ob multiplicem gyrum, pluresque ſinus, quos diſtinguere debebat in prolixo feminarum capillitio, ideoque pluribus ligaminibus inſtructas eſſe oportebat. Quatuor vero viriles unico tantum vinculo munitae ſunt; nam ambitu ſimpliciore explicabantur. Quae omnia optime conveniunt cum Sacrario adhuc clauſo; nec enim inſignia ſumebantur, niſi cum ſacra commoverentur.

Neque repugnat Deos ad unius Dei ſacra convenire; nam Bacchi Orgia numquam reſpuerunt, pro illorum maxima dignitate. Ovidius Faſt. I.:

Feſta corymbiferi celebrabat Graecia Bacchi,
Tertia quae ſolito tempore bruma refert,
Dii quoque cultores gelidi venere Lycaei,
Et quicumque jocis non alienus erat.
Vina dabat Liber, tulerat ſibi quiſque coronam.

TAB.

TAB. CXLIV.

BACCHA IN LECTISTERNIO.

Reclinata in Lectifternio quiefcit Baccha, more difcumbentium, feminuda fuper tigridis pelle, more Heroum, qui ferarum coriis toros fubfternebant. Virgilius VIII. 175.:

Haec ubi dicta, dapes jubet, & fublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipfe fedili.
Praecipuumque toro, & villofi pelle leonis
Accipit Aeneam;

& Silius Ital. XVII.:

jam membra cubili
Erigit; & fulvi circumdat pelle leonis.

& Nonnus Dionyfiac. lib. XXIV. verf. 336.:

Δέρμασιν αἰγείοισιν ἐπεςορέσαντο χαμεύνην.
Caprinis in pellibus fternebant lectum.

Faunus facem fuftollit, miniftra coronam, & lancem cum uvis adfert, alterque Faunifcus tibias pares inflat.

Sub toro fcabellum confpicitur, quo ad faciliorem confcenfum utebantur, quod alibi notabimus.

TAB. CXLV.

BACCHAE SACRA FACIENTES.

Seminuda, & monilibus ornata fedet Dea Libera, tympanum fuftollens, circumquaque diffluentibus teniolis refertum; tympanum, inquam, non vannum; haec enim, ut par eft, femper perforata adparet.

Deae miniftra lancem obfert cum fenis pomis, & crotalum fubftinet.

Ad Aram adcedit mulier altera ex Bacchicis feminuda cum altera lance, in qua totidem poma difpofita funt, & coronam Etrufcam in honorem Deae altari admovet. Hanc veftium negligentiam notat Ovidius Faft. I. 399. in defcriptione Bacchanalis, & cultus Bacchantium Nympharum:

Illa

Illa ſuper ſuras tunicam collecta miniſtrant,
Altera diffuſo pectus aperta ſinu,
Exerit haec humerum, veſtes trahit illa per herbas.

Quae tunicata adcedit ad Altare cum ſitula, ſpeculum oculis anteponit prae obſequio, ne quid obcurrat, quod intentam ſacris mentem perturbet. Nec eſt, cur id inſtrumentum pro patera ſumamus; haec enim nudo limbo conſtabat, ne defluens liquor inter parerga exteriora retineretur. At contra ſpecula Matronarum, plerumque circa gyrum, gemmis, & floſculis ornata erant, ut ſaepe in his Tabulis obſervandum obcurrit.

Frequenter innuimus, morem hunc peculiarem in Sacris Bacchi exſtitiſſe, quod ad ſacra praeſertim ſecretiora adcedentes faciei vel pateram, vel ſpeculum, aut cribrum, ſive quidquid aliud ad manus eſſet, oculis anteponerent, quod paſſim obſequio ſacrificantium adtribuimus; indulgentioribus alioquin ceteris Diis, qui nihil hujuſmodi exigebant. Aſt in Bacchi myſteriis rigorem hunc neceſſarium fore putabant, ne, Deo adveniente, conſpicuumque ſeſe exhibente, illum impune intuerentur. An ne in Orgiis Bacchus adparebat? Ita porro ſibi infingebant. Orpheus in Hymn. Lyſii Lenaei ita eum compellat:

Θνητοῖσι φανεὶς,

Mortalibus adparens;

& Horat. II. 19.:

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, credite poſteri,

& Sophocles in Antigone de Baccho verſ. 1162.:

Παῖ Διὸς γενέθλον,
Προφανῆθι ξὺν Ναξίαις
Σαῖς θυάσι προσπόλοις,
Ἁι δή σε μαινόμεναι
Πάνυχοι, χορεύουσι
Τὸν Ταμίαν Ἴακχον.

Fili, Jovis proles,
Oſtende te cum Naxiis
Tuis Sacerdotibus Miniſtris,
Quae circa te inſanientes

Per totam noctem ſaltant
Cuſtodem Jacchum.

Id vero myſterium nemo melius expoſuit, niſi Bacchus ipſe Penthaeo, cui adhuc ignotus Bacchi myſteria ediſſerebat, ſeſeque Bacchum vidiſſe incredulo homini teſtabatur apud Euripidem in Bacchis verſ. 478.:

Πεν. Τὸν Θεὸν γὰρ ὁρᾷν σὺ φὴς σαφῶς, ποῖος τὶς ἦ;
Διο. Ὁ ποῖος ἤθελ᾽, οὐκ ἐγὼ τάσσον τόδε.

Pent. *Tu igitur dicis, te vidiſſe Deum palam, qualis eſſet?*
Bacch. *Qualis ipſe voluit, non ego notavi hoc.*

Dein verſ. 502.:

Πεν. Καὶ ποῦ ᾽στιν; οὐ γὰρ φανερὸς ὄμμασίν γ᾽ ἐμοῖς.
Διο. Παρ᾽ ἐμοί. σὺ δ᾽ ἀσεβὴς αὐτὸς ὢν, οὐκ εἰσορᾷς.

Pent. *Et ubi eſt? Non enim conſpicuus eſt oculis meis.*
Bacch. *Penes me. Tu vero impius cum ſis, non vides.*

Quapropter mirandum non eſt, ſi apud Gratium loc. cit. Bacchi Antiſtita profanos ejiciens utitur magnifica formula:

Edico, praeſente Deo, praeſentibus Aris.

Quia vero periculoſum valde erat Deum conſpexiſſe, faciem velabant. Pauſanias in Phocicis lib. X.: Τὸ ἔπος οὖν ἀληθεύειν ἔοικε τοῦ Ὁμήρου, σὺν οὐδενὶ αἰσίῳ τοὺς θεοὺς τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων ἐναργῶς ὁρᾶσθαι. *Homeri igitur facile exiſtimari poteſt nihil a vero abhorrere, non poſſe cuiquam hominum benevertere, cui perſpicue Deos cernere contigerit*; & Callimachus in Lavac. Pallad.:

Ὅς κε τιν᾽ ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
Ἀθρήσῃ, μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.

Quiſquis aliquem immortalium, niſi Deus ipſe velit,
Conſpexerit, mercede conſpiciat magna.

Diutius in hoc immoratus ſum; nam hujuſmodi obſervatio ad intelligentiam eorum, quae ſequentur, maxime conducit.

TAB.

TAB. CXLVI.

SATYRUS, ET BACCHA.

SAcris admiſſus Satyrus Tiro, & linteo ſacro jam munitus introducitur a Baccha pari velo ornata in Sacrarium, quae vannum oculis admovet in conſpectu Numinis metuendi, & ſiniſtra ſublata, Satyrum excitat, ut totum ſe formet in religionem. Ipſe teter, & veluti horrore conreptus, manus adtollit, dum caprinis pedibus ad Deum adcedit, tamquam ad praeſentem. Diodorus Sic. lib. IV. 3.: Τὰς δὲ γυναῖκας κατὰ συστήματα θυσιάζειν τῷ θεῷ, καὶ βακχεύειν, καὶ καθόλου τὴν παρουσίαν ὑμνεῖν τοῦ Διονύσου. *Matronae autem catervatim ſacrificia obeunt, ac bacchantur, Numen id non ſecus, ac ſi praeſens ſit, feſtis carminibus proſequentes*. Haec Tabula ad prima initia pertinet.

TAB. CXLVII. CXLVIII. ET CXLIX.

FAUNI CUM BACCHIS STUDENTES.

CUm Satyriſci aliquantum profeciſſent in myſteriis, eorumque ſecretum, & tolerantia ſatis probata exſtitiſſet, ex illa primaeva rudi, ac ferina conditione provehebantur ad humaniorem, & jam propriis pedibus incedebant, & diffuſiorem caudam, quam quod Satyriſci haberent, adquirebant. In hoc primo Vaſe citharaedus a Baccha accipit ulteriora myſteria, quae ab illa exponuntur, ſed tali corporis ſtatu, ut ſubmiſſe, & quaſi ſecreto illa communicet, guttumque ſiniſtra ſubſtinet, quo auditorem aut potet myſtico liquore, vel adſpergat.

In ſequenti Tabula CXLVIII. Faunus ad ſacra admiſſus, oeſtro percitus furibunde tripudiat. Livius Lib. XXXIX.: *Viros, veluti mente capta, cum jactatione fanatica vaticinari*; & Statius Achill. I.:

Magnaque difficili ſolventem brachia motu.

Rationem hujuſce ritus, ridiculam admodum, in re ſacra adducit Servius Eclog. V. 73.: *Ideo in religionibus ſaltabant majores, quia nullam corporis partem eſſe voluerunt, quae non ſentiret religionem; nam cantus ad animum, ſaltus ad mobilitatem corporis pertinet*.

Baccha in alio Vaſe ejuſdem Tabulae cum ingenti tympano, in morem clypei Argolici, ad aram adcedit ſacrificatura.

Tripudiat Baccha in Tabula CXLIX., qualem deſcribit Ovidius Metam. III. 726:

Collaque jactavit, crinemque per aera movit.

Ad ejus pedes conſpicitur vannus perforata, ni potius eſſe velimus placentam, quam in occultis ſacris Orgiorum explodit Clemens Alexan. Cohortation. ad Gentes Cap. II.: Πόπανα πολυόμφαλα. *Libaque multis diſtincta umbilicis*. Volucer ad ejus pedes recumbens, ſive interim anſer, ſive cycnus, otioſus equidem non inrepſit, ſed cauſſam hujus parergi adhuc ignoro.

Haec Antiſtita duplicem mappam ſubſtinet brachiis ſine exemplo; nam unica contenti mares, & feminae incedebant. Id tribuo ejus poteſtati, qua hujuſmodi geſtamen non ſibi tantum tribueret, ſed novitiis etiam Teletis largiretur, cum ad ſacra promoveret. Id inſigne commune fuit aliis etiam ſacris, veluti ſymbolum miniſterii, de quo aliqua praemiſi in Diſſertatione de Genio Domeſtico Muſ. Etruſc. Tom. III. His adde Servium ad I. Aeneid: *Conſtat enim majores mappas habuiſſe villoſas, quibus etiam in ſacris utebantur, ſicut in Georgicis, manibus liquidos dant ordine fontes germanae, tonſiſque ferunt mantilia villis, de ſupplicaturis enim hoc dixit*. Et Valer. Flac. Argon. I. 660.:

Ergo humeros Ductor ſacro velatus amictu
Aeſoniamque capit pateram.
Hac pelago libat latices.

Ex alio latere Faunus temulentus, ac ſtupens parem mappam ventilans aliquid de Ciſta ſumit, ſive potius admota manu tangit, veluti ſeſe devoveat ſacramento.

CLASSIS

CLASSIS XII.

CULTUS BACCHI.

TAB. CL.

BACCHUS SENEX IN LECTISTERNIO.

BAcchum Graeci, & Romani ſub forma pulcherrimi adoleſcentis objecerunt. Ovidius IV. Metam.:

Tu puer aeternus, tu formoſiſſimus alto
Conſpiceris caelo.

Etruſcis vero prudentioribus, qui vinum vetus praeſerebant novo, placuit ſub forma ſenili Bacchum exprimere, quem Hebona nuncuparunt. Macrobius Satur. I. 18.: *Liberi Patris ſimulacra partim puerili aetate, partim juvenili fingunt, praeterea barbata ſpecie ſenili, ut in Campania Neapolitani celebrant, Hebona nominantes.*

In hac Tabula ſenili vultu ſub ſpecie convivantis jacet reclinatus in Lectiſternio, atque, ut verbis utar Tertulliani, *in otio plurimo placidae ſtupentis Divinitatis*; quamquam veteres Diis univerſis id obſequium tribuerent, ut illos ſibi penitus adſimiliarent eſurientes.

TAB. CLI.

BACCHUS, ET BACCHA.

INnuimus ſupra, Bacchos, & Bacchas in his Tabulis expreſſas nil penitus referre, niſi larvatos illos Sacrorum Antiſtites, & pompae Coriphaeos, qui veſtibus, vultu, & inceſſu Liberum, & Liberam toti populo referebant. Procedit itaque fictus Bacchus cum ſceptro, inſigni, a quo σκηπτοῦχος vocatur ab Orpheo in Hymno Trieterici, & thallum hederaceum manu inſuper praeſeferens.

Siniſtra uxorem ſuam, veluti Reginam ſacrorum jure conſtitutam, introducit in Sacrarium Bacchico cultu induendam; nam adhuc ſtola paganica induta eſt. Antequam vero haec ſacrorum Regina inſignia poteſtatis adſumeret, ſacramentum interponere debebat ſub hac formula, quam accepimus a Demoſthene Orat. in Neaeram: Ἁγιστεύω, καὶ

εἰμὶ

εἰμὶ καθαρὰ, καὶ ἁγνὴ ἀπὸ τῶν ἄλλων τῶν οὐ καθαρευόντων, καὶ ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας. καὶ τὰ θεόγνια, καὶ Ἰοβακχεῖα γεραίρω τῷ Διονύσῳ κατὰ τὰ πάτρια, καὶ ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις. *Pia, & pura, & munda ſum a ceteris immundis, & a viri congreſſu, & divinum natalem, & Jobacchea celebro Baccho, patrio ritu, & legitimis temporibus.*

Parergon operis eſt Faunus procax, qui fugientem Nympham impudice proſequitur. Improba haec ſpectacula adeo obvia ſunt in Bacchanalibus, ut ea a ritualibus impudiciſſimis praeſcripta fuiſſe ſuſpicer. Phornutus obcurrit adſertor, qui Bacchi chorum ita deſcribit: Νέος, καὶ πρεσβύτης, διὰ τὸ πάσῃ ἡλικίᾳ πρόσφορος εἶναι. τῶν μὲν νέων λαυρότερον αὐτῷ χρωμένων, τῶν δὲ πρεσβυτέρων ἥδυτερον. οἱ δὲ παρασάγονται ταῖς νύμφαις ἥδιον αὐταῖς ἐπιμιγνύμενοι. καὶ τὰς μὲν πειρῶντες, τὰς δὲ μετὰ παιδείας βιαζόμενοι. *Ad haec fingitur & juvenis, & ſenex eſſe, eo quod omni aetati quadret, juvenibus nimirum illo meracius utentibus, ſenibus autem ſuavius; qui ſuaviter commixti Nymphis inducuntur, eas quidem tangentes, has autem joco violare nitentes.* Eumdem typum habeo in pulcherrimi operis Scarabaeo, quem in mea Dactylotheca cuſtodio, ejuſdem fere artificii, ac aliud Peruſinum, in quo quinque Thebani Heroes ſculpti ſunt.

TAB. CLII.

BACCHI ANTISTES CORONATUS.

GEminae Bacchi Sacerdotriae provectiores, diffuſis crinibus, & linteo ſacro circa dorſum, & brachia obvelatae, Regi ſacrorum omnibus inſignibus Bacchicis adornato coronam hederaceam imponunt. Haec formula ad ritum hujus ſacri pertinebat, quam adamuſſim ſervavit Hypſipyle cum Thoante ejus patre, cum Orgia inſimulans illum ſub Bacchi mentito adſpectu a nece liberavit apud Valerium Flacc. Argon. II. v. 353.:

Tunc excipit artus,
Obnubitque caput, tacitumque ad conſcia Bacchi
Templa rapit; primoque manus a limine tendens,
Exime nos ſceleri, pater, & miſerere piorum
Rurſus, ait. Tacita pavidum tunc ſede locavit
Sub pedibus, dextraque Dei. Latet ille receptus.

Veſte

Veste sacra; voces chorus, & Trieterica reddunt
Aera sonum, fixaeque fremunt in limine tigres.

Ejus vestis stellis consperſa est ad imaginem Bacchi, ut ait Eumolpus in Carminibus Bacchicis apud Diodorum Sicul. lib. I.:

Ἀστροφᾶν Διόνυσον ἐν ἀκτίνεσσι πυρωπόν.

Sidereum Dionysum igni radiante coruscum.

Ex alio latere illum intuemur ex intima sede eductum, & currui impositum per pompam circumduci. Valerius Flacc. loc. cit. v. 365.:

Serta patri, juvenisque comam, vestesque Lyaei
Induit, & medium curru locat, aeraque circum,
Tympanaque, & plenas tacita formidine cistas
Respiciens; teneat virides velatus habenas,
Ut pater, & nivea tumeant ut cornua mitra,
Et sacer ut Bacchum referat scyphus.

Haec imago triumphum Bacchi referebat actum de bello Indico; quapropter in ludicro hoc spectaculo inducitur Regina sacrorum, ejus uxor, sub specie Minervae, quae in ea expeditione Baccho opitulata est. Nonnus Dionys. lib. XXX. vers. 248.:

ἦλθε δ' Ἀθήνη
Οὐρανόθεν, πρὸ γὰρ ἧκε διάκτορον ὑψιμέδων Ζεὺς,
Γνωτὸν ὅπως φεύγοντα φόβῳ πεφοβημένον Ἥρης
Εἰς ἐνοπὴν ἐρύσειε μεταστρέψαντα μενοινήν.
Στῆ δ' ὄπιθε, ξανθῆς δὲ κόμης ἐδράξατο Βάκχου.
Μούνῳ φαινομένη βλοσυρὴ θεός.

venit vero Minerva
E caelo, praemiserat enim internunciam in altis regnans Juppiter,
Fratrem ut fugientem metu perterrefactum Junonis
In pugnam traheret convertentem consilium.
Stetit vero retro, flavam vero comam prehendit Bacchi.
Soli adparens terribilis Dea.

Itaque ut auctrix victoriae, ita triumphi particeps esse debuerat.

TAB.

Tab. CLIII.

BACCHI ANTISTES OVANS.

ECce iterum Bacchi ſupremus Myſta ovans in publicum prodit, vectus equo. Adpoſititia ejus ornamenta hominem lavatum oſtendunt, coma ſutilis, barba aliena, ceteraque inſignia, quae tonſum civem, ut erant Etruſci, niſi adventitia, non conveniebant. Ex ejus capillitio cirri in modum ſerpentum per humeros diſcurrunt; his enim, plerumque fictitiis, Bacchus, & ejus aſſeclae crines cingebant. Horat. II. 19.:

Nodo coerces viperino
Biſtonidum ſine fraude crines.

Reliqua vero coma, ut ſemper in hiſce ſacris, longa & diffuſa eſt. Ovid. de Remed. Amor. v. 603.:

Ibat, ut Edono referens Trieterica Baccho
Ire ſolet fuſis barbara turba comis.

Cothurnos gerit, conſuetum ejus ornamentum. Nonnus Dionyſ. XIV. verſ. 237.:

Ἄργυρα πορφυρέοις ἐπεθήκατο ταρσὰ κοθόρνοις.

Induit argenteas plantas purpureis cothurnis;

Et Tacitus lib. II.: *In celebrando vindemiae ſimulacro Silius Bacchum referens hedra vinctus erat, & cothurnos gerebat.*

Antiſtita in parte obverſa, nondum furialibus ſuſceptis inſignibus, pateram, ſive lancem ſacrificio paratam ſubſtinet.

Tab. CLIV.

BACCHUS ALATUS CUM SACERDOTE.

REx Bacchici Sacri, ſenili adſpectu, cum Thyrſo, ſolitarius, & nudus, hoc eſt animo, & corpore omnino ſolutus, ad aram adcedit, ut ſupremae poteſtatis teſſeram a Baccho ſuſcipiat, quem oculis conſpicere ferebatur.

Bacchus volucer, manu ſuper aram producta, ſacramentum exigere videtur. Nec miremur novum Bacchi adtributum, quod Pauſaniae auctoritate illi confirmamus. Sic in Laconicis lib. III.: Θεῶν δὲ σέβουσιν

οἱ

οἱ ταύτῃ τόντε Ἀμυκλαῖον, καὶ Διόνυσον, ὀρθότατα ἐμοὶ δοκεῖ. Ψίλαν ἐπονομάζοντες. ψίλα γὰρ καλοῦσιν οἱ Δωριεῖς τὰ πτερά. ἀνθρώπους δὲ οἶνος ἐπαίρει τε καὶ ἀνακουφίζει γνώμην οὐδέν τι ἧσσον ἢ ὄρνιθας πτερά. *Venerantur, qui hic habitant, prae ceteris Amyclaeum, & Bacchum, quem Psila cognomento dicunt. Psilae enim Dorienses alas vocant, quippe vinum incitat homines, sublevatque non minus, quam aves alae.* Hoc enim adspectu, neque alio fingi debebat, qui subito ministris sacrorum intimis adparere, & praesto esse putabatur.

TAB. CLV.

BACCHUS CUM NOCTUA.

STat Bacchus cum thyrso frondente, & ingenti cornu potorio. Horatius II. 19.:

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam, & recedentis trilingui
Ore pedes, tetigit crura,

& Nonnus Dionys. XIV. vers. 240.:

Λαιῇ μὲν κέρας εἶχε βεβυσμένον ἡδέος οἴνου
Χρύσεον, ἀποίητον. . . . .

Sinistra quidem cornu habebat temperatum dulci vino
Aureum, benefactum.

Noctua eidem adstans nihil cum Baccho commune habet, nisi studium tenebrarum, quas Bacchus prae verecundia praeferebat, illa vero indolis necessitate. Subest alia ratio inimicitiae, ob quam animalia saepe Diis, veluti subjecta, obferebantur. Noctua enim una omnium animalium vinum criminata est, quam propterea Deus illam ab ejus racemis abegit. Tradit etiam Philostratus, infantes, qui noctuae ova sorbuissent, non modò a vino abhorrere, sed & temulentos formidare.

Inferior linea exprimit fabulam Bacchanalem, nempe Panes insectantes Nympham Echo, quam Moschus describit Idyllio VI.:

Ἤρα Πὰν Ἀχῶς τᾶς γείτονος, ἤρατο δ' Ἀχὼ
Σκιρτητᾶ Σατύρω. Σάτυρος δ' ἐπεμήνατο Λύδας.

Ὡς Ἀχῶ τὸν Πᾶνα, τόσον Σάτυρος φλέγεν Ἀχῶ,
Καὶ Λύδα σατυρίσκον. Ἔρως δ᾽ ἐσμύχετ᾽ ἀμοιβᾷ.
Ὅσσον γὰρ τήνων τις ἐμίσεε τὸν φιλέοντα,
Τόσσον ὁμῶς φιλέων ἐχθαίρετο, πάσχε δ᾽ ἄποινα.
Pan amabat Echo vicinam; Echo autem ardebat
Saltatorem Satyrum; Satyrus vero insane deperibat Lydam,
Quantum Echo Pana, tantum & Satyrus Echo urebat,
Et Satyrum Lyda: Sic amor per vices flagrabat;
Quantum enim ipsorum aliquis amantem oderat,
Tantum & ipse amans odiosus erat, & patiebatur vindictam.

Hanc igitur Pictor alatam finxit, ut ejus levitatem exprimeret, cum enim Nympha esse desiit, nil nisi vox fuit.

TAB. CLVI.

INDICTIO BACCHANALIORUM.

BAcchus senex, & coronatus sceptrum adtollit tornatile, longe diversum a thyrso, quo, veluti signo dato, pompam Bacchicam movet, emittitque e Sacrario juvenem, qui musico instrumento processum indicat, qui conversus praeceptum excipit. Discessum musicus concentus expediebat. Statius Achill. II.:

Jamque movent gressus; thyasisque Ismenia buxus
Signa dedit.

In Orgiis omnia fere organa ad fragorem excitandum adhibebantur, Inflatilia, Tensilia, & omnium maxime Pulsatilia, tamquam magis clamorosa. Quod gerit Juvenis pompae prodromus, constat ex aeneo circulo, qui bacillo ejusdem materiae, sive ferreo pulsabatur, stridulumque sonitum reddebat. Similem alibi observavimus in his Tabulis; nam acutus ille fragor maxime opportunus erat ad animi concitationem provocandam; ideoque in Bacchanaliorum descriptionibus tinnitum aeris frequenter invenimus. Ovidius Metam. VI.:

Nocte sonat Rhodope tinnitibus aeris acuti;

& rursus lib. XIV. describens Cybelis pompam, quae maxime cum Bacchica conveniebat:

Sancta Deum genitrix tinnitibus aera pulsi
Aeris, & inflati complevit murmure buxi.

Praecur-

Praecurſor involutam velo ſacro aviculam criſtatam praefert. Picam puto, quae ob garrulitatem Baccho admodum grata fuit, ut tradit Natalis Comes Mythol. lib. V. 13., & Gyraldius de Diis Syntag. VIII., fretus auctoritate Phurnuti, quinimmo Tuſſanus in Κίττα, ubi haec habet: Κιττοφόρος *Picam ferens ad myſteria Bacchi peragenda*. Hinc intelligimus, ſymbolum hocce non modo non alienum fuiſſe ab hiſce pompis, verum ex ritualium praeſcripto ad perfectionem intercedere debuiſſe.

TAB. CLVII.

BACCHUS BACCHAM DEOSCULANS.

EX his, quae ſupra innuimus, ſolebant Veteres in Bacchanalibus ſupremos Sacrorum Antiſtites Bacchico cultu ita adornare, ut Liberum, & Liberam ad vivum referrent, quod monendum erat, ut Fabulas a veritate diſcerneremus. Addimus nunc alterum teſtimonium ex Ovidio Metam. VI., ubi tradit, Procnem ſubfuratam fuiſſe Sororem Philomelam abditam ſub cultu Bacchi in furore Orgiorum:

Nocte ſua eſt egreſſa domo regina; Deique
Ritibus inſtruitur, furialiaque accipit arma.
Vite caput tegitur, lateri cervina ſiniſtro
Vellera dependent, humero levis incubat haſta;

& poſt pauca:

Germanamque rapit, raptaeque inſignia Bacchi
Induit, & vultus hederarum frondibus abdit;
Attonitamque trahens intra ſua limina ducit.

Haec notanda erant, ne confunderemus Liberi Patris connubia cum Ariadna, Pallene, aliiſque, quae recenſet Nonnus in poſtremo Dionyſiacorum, cum caeremoniis, in quibus ab Etruſcis antiqua haec facta, ſi quae fuerunt, ſimulabantur, magnamque lucem ſequentibus Tabulis adfundunt.

Sub umbraculo vitis ſedet fictus Bacchus, qui uxorem jamdiu ſuam complectitur, veluti ſponſam, ut Bacchi Nuptias religioſe mentiatur Hymenaeus, quem prae omnibus Diis Bacchus diligebat, ut

ſaepe notavit Nonnus, manum ſupra ſponſae caput imponit, ut connubium firmare videatur.

Adſtant plaudentes duo ex comitibus, Ampelus fortaſſe, & Achratus, quorum unus coriaceum tympanum adtollit, quod deſcripſimus in Diſſertatione *de Muſica Etruſcorum*; nam ex hoc ſchemate praeciſa ejus forma demonſtratur; alter vero poculum ſubſtinet.

Poſtremus Silenus crepitaculum jactat. Sub toro geminae menſae cum pomis, & libis ad convivium nuptiale paratae ſunt.

Tab. CLVIII.

PARS ADVERSA EJUSDEM VASIS.

Coenam excipit Muſica, quam ad vigilem protrahendam noctem poſt epulas inducebant Antiqui, quemadmodum in convivio Didonis, amotis menſis, refert Virgilius Aeneid. I.:

Cithara crinitus Jopas
Perſonat aurata.

& Homerus Odyſſ. XXI. verſ. 428.:

Νῦν δ᾽ ὥρη καὶ δόρπον Ἀχαιοῖσιν τετυκέσθαι
Ἐν φάει, αὐτὰρ ἔπειτα καὶ ἄλλως ἑψιάασθαι
Μολπῇ, καὶ φόρμιγγι. τὰ γάρ τ᾽ ἀναθήματα δαιτός.
Nunc autem hora & coenam Achivis parari
In luce, at poſtea & alioquin delectari
Cantu, & Cithara; haec enim ornamenta convivii.

Sedet igitur Citharaedus, cultu Apollineo, Citharam pulſans, longo ſirmate circumdatus; nam ſimili indumento utebatur Apollo, cum Muſicus eſſet. Ovidius Metamorph. XI.:

Ille caput flavum lauro Parnaſſide vinctus
Verrit humum, Tyrio ſaturata murice palla,
Inſtructamque fidem gemmis, & dentibus Indis
Subſtinet a laeva; tenuit manus altera plectrum.

Heic vero hedera coronatus adparet; refert enim Macrobius Saturn. XVIII., Lacedaemonios Sacra Hyacinthia in honorem Apollinis coronatos hedera ſacrificaſſe. Iſte vero cultus maxime decebat Apollinem, ſive Muſicum, qui ejus vice caneret in Sacris Bacchi.

Hic

Hic nudus cum thyrſo intentus adſtat cantori; Baccha vero poſt ejus tergum Fauno intenta eſt, qui ingentem hydriam invergit in vas potorium incurvum (*Anconem* vocabant) ut vinum Poetae miniſtret. Bacchae Ancilla, & ipſa thyrſigera, mirabunda muſico concentu perfruitur.

Supra caput Bacchae, & Fauni lineolae quaedam, nunc otioſae, conſpiciuntur, quarum vim incautus noſtri temporis Pictor, ſcripturae Etruſcae ignarus, vix adumbravit. Imaginum inferiorum nomina ſunt, quae in aliis Vaſculis, quorum ſchedas adſervamus nitidiores, adparent, unde intelligimus, antiquos Artifices non in pateris tantum aereis nomina figuris adpoſuiſſe, ſed etiam Pictores caeramicos, ut vis hiſtoriae primo obtutu in claro poneretur.

CLASSIS XIII.

PROCESSUS, ET POMPAE BACCHICAE.

TAB. CLIX. CLX. CLXI. ET CLXII.

TRIPUDIA, ET CONCENTUS BACCHICI.

FAunus cothurnatus inter geminas Bacchas oeſtro conreptas, & fanaticas tripudiat. Jam praemiſimus, cothurnos fuiſſe geſtamen Bacchicum, ſed non perpetuum, atque commune; nam teſtimonio noſtrarum Picturarum intelligimus, & viros, & feminas pro diverſitate graduum aliquando nudis pedibus fuiſſe debacchatos. Ovidius alias citatus Faſtor. lib. I.:

Illa ſuper ſuras tunicam collecta miniſtrat,
Altera diſſecto pectus aperta ſinu:
Exerit haec humerum, veſtes trahit illa per herbas,
Impediunt teneros vincula nuda pedes.

Et revera capripedes Satyros ſemper nudis pedibus ſaltare intuemur;

nam

nam primus iſte gradus longe aberat a participatione majorum myſteriorum.

Thyrſis praefixa eſt lamella perforata, ad inſtar cratis, per quam, veluti per rimulas, conſpiciebant interiores caeremonias.

Ultima ex Bacchis haſtam puram defert ſine ullo additamento; quia aeneo circulo pulſando addicta eſt.

In Tabula CLX. incedit Baccha cum Thyrſo, & Bacchi poculo, quod maxime venerabile putabatur; nam, ut in Tabulis antecedentibus demonſtravimus, id proprium Bacchi inſigne putabatur.

Cithariſtia antecedit, quae converſa in Baccham reſpiciens, modos facere videtur, dum illa adtonito, & ſupino vultu Bacchi laudes videtur occentare. Bacchae crines diffuſi ſunt, ceterarum vero in nodum conlecti. Id etiam notavit Ovidius loc. cit. in deſcriptione Bacchanalis:

Najades effuſis aliae ſine pectinis uſu,
Pars aderat comptis arte, manuque comis.

Ultima geminas faces ſubſtinet, quarum in ſacris nocturnis, & praeſertim Bacchanalibus, maximus uſus fuit.

Sequens Tabula CLXI. non Faunos ſaltantes, ſed Silenos nobis exhibet, cum ſacris illis linteaminibus, quae ad intima ſacra pertinebant. Hi, cauda depoſita, homines puros, & ab omni faece humanitatis abſolutos denotabat, qui intima Numinis familiaritate, & participatione potiti omnia ſibi licita eſſe reputabant, nihilque eis adtribui ad peccatum. Hinc proceſſit maxima illa cujuſvis facinoris licentia, & impunitas, ut ait Livius loc. cit.: *Nihil nefas ducere, hanc ſummam inter eos religionis eſſe . . . . nihil enim in ſpecimen fallacius eſt, quam prava religio, ubi Deorum Numen praetenditur ſceleribus.* Hanc labem ſuperiore aetate ſub ſpecie *quietis* renaſcentem acri Eccleſiae judicio ſublatam, correptamque Patres noſtri plauſeruut. Ceterum diſcurſus per urbem, & ſaltationem, veluti Dei cultum potiſſimum reputabant, quem proinde Orpheus in Hymno Trieterici ſic invocavit:

Ἔλθὲ, μάκαρ σκιρτητά.

Veni, beate Saltator.

Alios hujus chori Saltatores, cum velo ſacro e brachiis velitante, videas apud Gorium Muſ. Etruſc. Tom. III. Claſs. 2. Tab. VIII.

Infe-

Inferior ex Silenis dextera adtollit *Pomum Granatum*, unum ex arcana ſupellectile Ciſtae myſticae, quam exſibilat Clemens Alexandrinus Cohortation. ad Gentes Cap. II.: Οἷαι δὲ καὶ αἱ κίςαι αἱ μυςικαί; δεῖ γὰρ ἀπογυμνῶσαι τὰ ἅγια αὐτῶν.... Οὐχὶ δὲ σησαμαῖ πρὸς τοῖς δε, καὶ καρδίαι, νάρθηκές τε, καὶ κιττοί; *Quae porro, & cujuſmodi ſunt ciſtae illae myſticae? Nudandum enim quidquid apud eos ſancti eſt..... nonne ſunt mala punica, corda, ferulae cum hederis.* Notandum heic cenſeo, quod in Tab. CXXVII. Antiſtita Fauno ex Satyriſcorum coetu provecto tradit imaginem *Cordis*; Silenus vero ex ſuprema Teletarum claſſe *Pomum Granatum* oſtentat ex eadem occulta Ciſta prolatum, fortaſſe utriuſque gradus teſſeram peculiarem. Duplicis linteoli geſtamen notavimus ſupra ad Tab. CXLIX.

In poſtrema ex citatis Tabulis Baccha ſtans cum Thyrſo, & Nebride, elata dextera, canere videtur, dum Faunus ſedens citharam pulſat.

Sacerdos inferior in conſpectu potiſſimae Antiſtitis cymbalo faciem obnubens hymno adſtat intenta. Silenus poculum obfert canenti, miniſtra facem praefert.

Tab. CLXIII.

PROCESSUS BACCHICUS.

Continua hujus Vaſis hiſtoria progreſſum pompae in Bacchanalibus oſtendit, nempe, ut ait Livius: *Viros, veluti mente capta, cum jactatione fanatica corporis vaticinari.* Violentos illorum motus eleganter deſcribit Statius Achill. I. de Achille Bacchante:

Magnaque difficili ſolventem brachia motu.

Bibunt alii ad tibiarum, & citharae cantum, ad crepitum buccinae, & crotalorum.

Notandum obcurrit in hac Tabula Bacchantes univerſos velo ſacro coopertos eſſe, nullumque aut Satyrum, aut Faunum illis intermixtum; ſunt enim ex ſuperiore, tertioque, ac intimo coetu Silenorum, quos jam ex omni labe perfectos Numen impleverat, ut quidquid agerent, licet turpiſſimum, Dei nutu, ac motu quodam caeleſti agere

agere viderentur. Hi enim a toto coetu fegregati partem ritus, (ut putabant facri) peragebant.

Nec turbet plures fub hoc nomine cenferi, cum plerumque Silenum unum Bacchi nutritorem, & comitem individuum apud Scriptores nominatum videamus; nam hujus optima merita, quae celebrat Orpheus in ejus hymno, in multitudinem tranfierunt, quae Silenorum nomen fortita eft. Catullus alias citatus Carm. LXII. verf. 251.:

At parte ex alia florens volitabat Jacchus,
Cum Thiafo Satyrorum, & Nyfigenis Silenis.

Paufanias in Atticis lib. I. ait: Τοὺς γὰρ ἡλικίᾳ τῶν σατύρων προήκοντας ὀνομάζουσι σειληνούς. *Maximos enim natu Satyrorum Silenos nuncupant*; quo loco, licet fubobfcure, noftram firmat opinionem, ex Satyris non ex merito aetatis, fed profectus in myfteria Silenos evafiffe; & Plutarchus Commentar. Quomodo poffit adulator ab amico internofci: Σειληνοῖς ὁ Διόνυσος ἐτέρπετε. *Bacchus Silenis delectatus eft.* Itaque non miremur, quod Dionyf. Halicarn. alias citatus lib. VII. hanc pompam defcribens Silenos plurali numero enunciet: Τοῖς μὲν εἰς Σειληνοὺς εἰκασθεῖσι, μαλλωτοὶ χιτῶνες. *E quibus, qui Silenos repraefentabant, amicti erant tunicis villofis.* Nec praetermittemus Plutarchum alias cit. in vita Antonii: Εἰς γοῦν Ἔφεσον εἰσιόντος αὐτοῦ, γυναῖκες μὲν εἰς Βάκχας, ἄνδρες δὲ καὶ παῖδες εἰς Σατύρους, καὶ Πᾶνας ἡγοῦντο διεσκευασμένοι. κιττοῦ δὲ καὶ θύρσων, καὶ ψαλτηρίων, καὶ συρίγγων, καὶ αὐλῶν ἡ πόλις ἦν πλέα. *Cum igitur ipfe Ephefum ingreffus eft, mulieres quidem Baccharum habitu, viri autem, & pueri Satyrorum, atque Panum cultu ornati praeceſſerunt, hedera, Thyrfis, Pfalteriis, Fiftulis, Tibiis perfonabat Urbs.* Natalis quoque Comes Mytholog. lib. V. 13. tradit, Silenos aciem integram conftituiffe in bello pro Baccho adverfus Saturnum: *Militantibus una nobiliffimis Nyfeis, qui Sileni funt vocati, cum primus, qui regnavit Nyfae, Silenus nominaretur.* In hoc quoque gradu adipifcendo juramentum interponebatur, de quo Julius Firmicus de Error. Profan. Relig.: *De tympano manducavi, de cymbalo bibi, & Religionis fecreta perdidici.*

TAB. CLXIV. ET CLXV.
FABULAE THEATRALES IN BACCHANALIBUS.

INter ludicra feriatae Urbis, dum Bacchanalia recurrerent, aliena quidem a facris, fed tempori non repugnantia cenfebantur omnimoda fpectacula, quae popellum detinerent, & praefertim Comoediae. Ovidius Faft. III. 13.:

Rufticus ad ludos populus veniebat ad urbem;
Sed Dis, non ftudiis ille dabatur honos.
Luce fua ludos uvae commentor habebat,
Quos cum taedifera nunc habet ille Dea.

Thufcae vero Comoediae, quae apud antiquos Scriptores commemorantur, cum illorum libertate perierunt, ut inane prorfus fit fenfum harumce Picturarum, qui olim vulgo innotebat, inquirere. In Tabula priore vides Maccos geminos in fuggeftu Theatri de fifcella difputantes, veluti contractum ineant de interioribus pomis, five pullis. In altera faltatio exprimitur cum crepitaculis, fene intermedio tunicato, qui fufcina alterum e faltatoribus impetit. Eumdem ipfiffimum typum Tab. CLXV. habeo in fchedis ex alio Vafe, fed molis, & formae diverfae, ex Mufeo Cl. March. Alberici Albergotti, unde intelligimus, Pictores Etrufcos eadem prorfus inventa faepe in Vafculis reiterafſe.

TAB. CLXVI. ET CLXVII.
BACCHI TRIUMPHUS DE INDIS.

AD Scenam refero hanc Picturam ad Bacchanalia pertinentem, in qua triumphus de bello Indico a Baccho geftus ingeniofiffime repraefentatur. Ad Scenam, nam in pluribus fchedis idem argumentum referentibus currus Bacchi ab imaginariis quibufdam feris trahitur, veluti Gryphis, quae nonnifi fictitiae ad admirationem conciliandam a Pictoribus, & machinarum Artificibus effingi poterant.

Anterior hujus Vafis adfpectus a Fauno furente occupatur, qui integram arborem quatit. Statius Achill. I. Bacchanale defcribens:

terraque revulfas
Ferre trabes,

ubi hyperbolice trabes usurpavit pro arbusculis vesane a Bacchantibus radicitus e terra erutis ad ostentationem divini furoris, ut apud Catullum in Nupt. Pelei, & Tetidos LXII. v. 288.

tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras stipite laurus.

Saltant interim Bacchae geminae, quarum una mysticam placentam, unde serpens arcanus caput exerit, sublevat cum crepitaculis brachio adligatis. Baccha altera tympanum adtollit. Catullus loc. cit. v. 261.:

Plangebant aliae proceris tympana palmis.

Cornua potoria humi jacent, neglecta in tanta perturbatione, quae nec potissimo Bacchi symbolo indulget.

In aversa parte Bacchi pugna adversus Indos, ejusque triumphus expressus est. Bacchi milites Thebana, hoc est patria galea armati sunt, & scuto Argolico; Indi vero gemmatis, pictisque sagulis refulgent; quapropter a Virgilio Georg. IV. picti adpellantur:

Usque coloratis amnis devexus ab Indis.

Horum unus secure insultat aemulo; Nonnus Dionys. XV. vers 32.: id bellum describens:

Ἄλλος ἔχων δ᾽ ἀσπλῆτα σιδηρείης γένυν ἅρπης,
Αἰγὸς ὀρεσσινόμοιο διέθρισεν ἀνθερεῶνα.

Alius habens gravem securem harpae
Capellae in montibus pastae amputavit collum;

Bacchus enim, vino Indis permisso, illos dementaverat, ut toto eo Libro Auctor citatus prosequitur. Ceterum bellum illud saepe apud Poetas celebratur, de quo Pausanias in Phocicis Lib. X.: Οὐ ἄλλος (Διόνυσος) κατ᾽ ἐμὴν δόξαν, ἀλλὰ ὁ πρῶτος μὲν ἐλάσας ἐπὶ Ἰνδοὺς στρατείᾳ, πρῶτος δὲ Εὐφράτην γεφυρώσας ποταμόν. *Neque fuit opinione mea hic Liber alius ab eo, qui primus ad Indos cum exercitu penetravit, cum Euphratem ponte junxisset.*

Bacchus cum Libera spoliis Indorum undequaque ornatus triumphum agit, quadriugo curru invectus. Equi bini nigro colore tincti sunt, alterum par candido distinguitur. Quod vero me ancipitem diu tenuit, est equorum differentia; nam candidi truncis pedibus deformati sunt. Interim vitio ne longae aetatis, quae Picturam depravaverit, an incuriae recentis Pictoris id tribuam, prorsus ignoro. Subest ne in hac differentia mysterium aliquod veteris mythologiae, quae, sicuti Bac-

cho

cho quatuor equos adtribuit, ob quatuor illius aetates, quas ſingillatim deſcribit Macrobius Saturn. I. 21., ubi Bacchum puerum imperfectum, ſubinde adoleſcentem nondum maturum, virum poſtea, & demum ſenem nobis objecit, propterea duos equos invalidos habere voluerit? An potius illum cum Sole confundens *modo deſcendentem in ima mundi*, *modo in ſummam altitudinem reſurgentem*, diſpares equos habere meruit? Sunt haec fortaſſe indicia tarditatis in Tropicis, *cum Sol a curſu ſupero incipit obliquus inferiora jam petere?* Ab Haruſpice Etruſco aliqua ſolutio difficultatis eſt exſpectanda.

Tab. CLXVIII.
BACCHANALIA RUSTICA.

ITa prorſus vocabantur, quae a Plebeiis, & Ruricolis ſine ullo adparatu celebrari ſolebant, more antiquo, ac ſimpliciſſimo, Bacchanalia, quae anaglyphtico opere in hoc ſcypho repraeſentantur. Plutarchus alias citatus de cupidit. Divit.: Ἡ πάτριος τῶν Διονυσίων ἑορτὴ τὸ παλαιὸν ἐπέμπετο δημοτικῶς, καὶ ἱλαρῶς. *Accepta a majoribus Bacchanalium feſtivitas antiquitus plebejo more, & hilari agebatur*. Ludiones inter feminas nudi exſultant, quorum unus longum haſtile gerit, ex cujus extremitatibus geminae hinc inde lances pendent, inſtrumentum utique ludicrum, & minime aptum ponderibus examinandis. Genus crepitaculi eſſe puto ad quaternas voces ciendas, ut numeris reſponderent.

In alio latere videas Maccum, qui caput ſuinum, ſine cujus carne, ex Aegyptiorum traditione, Bacchi Feſta celebrari non poterant, comportat. Herodotus lib. II. cap. XLVII.: Τοῖσι μὲν νῦν ἄλλοισι Θεοῖσι θύειν ὗς οὐ δικαιεῦσι Αἰγύπτιοι. Σελήνῃ δὲ, καὶ Διονύσῳ μούνοισι .... Οἱ δὲ πένητες αὐτῶν ὑπ' ἀσθενείης βίου, σταίτινας πλάσαντες ὗς, καὶ ὀπτήσαντες ταύτας, θύουσι. Τῷ δὲ Διονύσῳ τῆς ἑορτῆς τῇ δορπίῃ, χοῖρον πρὸ τῶν θυρέων σφάξας ἕκαστος. *Aliis Diis immolare ſues jus Aegyptiis non eſt, praeter quam Lunae, & Libero.... Qui ſunt ex eis inopes, propter tenuitatem facultatum, adſimilatos quoſdam ſues coquunt, quos immolent. Baccho quoque in ejus Feſto ſinguli in coenam porcam pro foribus mactant*. De hoc ritu conſule, quae latius praemiſimus ad Tab. CXX.

Succedit alter, qui caprum mactat, de quo infra. Mulier infantem vino potat.

Ultima Phallum init, de qua impuriſſima ſuperſtitione ab ipſis

Gentilibus exſibilata, ab Eccleſiae vero Patribus vehementer reprobata pudet hic plura referre. Unus inſtar omnium proferatur Arnobius lib. IV.: *Etiam ne Mutinus, cujus immanibus pudendis, horrentique faſcino veſtras inequitare Matronas, & auſpicabile ducitis, & optatis.*

TAB. CLXIX. ET CLXX.

BACCHANALIA.

IN priore Tabula Bacchus barbatus procedit inter Faunos, vitem bifidam deferens, & cantharum ejus inſigne. Crocota ampliſſima indutus eſt, quae ſerica, & purpurea eſſe debebat, de qua Tertullianus de Pallio cap. IV.

Notanda eſt in pariete nebris maculoſa, donarii loco ſuſpenſa, de qua Plutarchus de Iſid., & Oſirid.: Ἃ δ' ἐμφανῶς δρῶσι θάπτοντες τὸν Ἆπιν οἱ ἱερεῖς, ὅταν παρακομίζωσιν ἐπὶ σχεδίας τὸ σῶμα, βακχείας οὐδὲν ἀποδεῖ. καὶ γὰρ νεβρίδας περικαθάπτονται. *Quae autem palam faciunt ſacerdotes, dum Apidis cadaver rate advectum ſepeliunt, nihil diſtant a Bacchi ſacrificio, quippe & hinnuleorum pelles circum appendunt.*

In linea inferiore Antiſtita Bacchi incedit inter duos Silenos, quorum unus cornu potorium ruditer expreſſum, alter cyathum adtollit, & dum Sacerdotria citharam pulſat, veluti lymphatus, caput contorquet. Catullus de Nupt. Pelei, & Thetid. LXII. 255.:

Evoe Bacchantes evoe, capita inflectentes,

& Ovidius Metam. III. 726.:

Collaque jactavit, crinemque per aera movit;

& Catullus in Galliambo:

Tibi Cymbala quatimus, tibi carmina canimus,
Tibi ſpargimus capillum, tibi verticem rotamus.

In Tab. CLXX. Bacchus ampliſſimam gerit vitem racemiferam, qualem in Thuſcorum navi excitavit, quae undique ramos diffundens, univerſo pene orbi beneficium vini videtur velle impertiri.

Mulier ſtolata tetrico inceſſu arcanum aliquid velatum adtollit, quod nudis oculis videre nefas eſſet. Heſichius: Ἰθύφαλλοι, οἱ ἐπίορκοι, καὶ ἀκολουθοῦντες τῷ φαλλῷ γυναικεῖαν ἔχοντες στολὴν. *Ithyphalli, qui Phallum circumferunt muliebrem habentes ſtolam.* Athenaeus lib. XIV. cap. 4.: Οἱ δὲ ἰθύφαλλοι

φησὶ

φησὶ καλούμενοι, προσωπεῖον μεθυόντων ἔχουσιν, καὶ ἐστεφάνονται χειρίδας ἀνθινὰς ἔχοντες. *Quos Ithyphallos nuncupant, personas ebriorum induunt, coronas gestant, & manicis florido colore tinctis manus operiunt.*

In parte aversa hujus Vasis tres Deos videas Bacchanalibus obsequentes, Mercurium, Herculem, & Minervam. Solebant enim in hisce Pompis Deorum indumenta usurpare, ut illos, veluti Bacchi pedissequos simularent, ut de Mercurio scribit Apulejus Metam. XI.: *Hic ille Superum commeator, & Inferum, nunc atra, nunc aurea facie sublimis adtollens canis cervices arduas, laeva caduceum gerens, dextera palmam virentem*; Et Athenaeus lib. V. pompam Bacchicam omnium sumptuosissimam describens, quam Ptolemaeus Philadelphus exhibuit, inter cetera unum ex Silenis sub Mercurii persona introducit: Μεθ' οὓς Σιληνοὶ δύο ἐν πορφυραῖς χλαμύσι, καὶ κρηπῖσι λευκαῖς. εἶχε δ' αὐτῶν ὁ μὲν πέτασον, καὶ κηρύκιον χρυσοῦν, ὁ δὲ σάλπιγγα. *Sileni duo post hos gradiebantur, purpureo pallio vestiti, cum albis soleis. Horum alter petasatus aureum caduceum parvum ferebat, alter tubam.* Alibi me vidisse memini interpositas etiam Herculis, & Apollinis figuras; nec miror de Hercule, cum, teste Stephano, in Agra Hercules Bacchi sacris initiatus fuerit.

Hic insuper introducitur Minerva, taurum praemittens, quem Bacchi asseclae in furorem acti vivum dentibus lacerabant. Julius Firmicus de Errore &c. Cap. VI.: *Vivum laniant dentibus taurum*; & Clemens Alexand. Cohortation. ad Gentes Cap. II.: Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζουσι Βάκχοι, ὠμοφαγίᾳ τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες, καὶ τελίσκουσι τὰς κρεωνομίας τῶν φόνων, ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν. *Homines furoris oestro perciti Bacchum Maenolen solemnibus orgiis celebrant, crudarumque carnium esu sacram agentes insaniam, & sacrarum carnium peragunt divisionem coronati serpentibus*; & Catullus de Nupt. Pel., & Thetid. LXII. v. 257.:

Pars e divolso jactabant membra juvenco,
Pars sese tortis serpentibus incingebant;

& Statius Achill. I.:

hujus in umbra
Alternum revocare piae Trieterica Matres
Consuerant, scissumque pecus, terraque revulsas
Ferre trabes.

TAB.

TAB. CLXXI

BACCHUS TRIDENTIFER.

INter ſaltantes Faunos conſiſtit Bacchus, veluti poſt furorem quieſcens, atque aliquid praeſcribere videtur Liberae in ipſum intendenti, dum placentulam ori admovet.

Singulare prorſus eſt Bacchi geſtamen; nam praeter morem non ferulae, ſed tridenti innititur. At id inſigne ab eo minime repugnat; nam, Statio auctore, intelligimus Bacchas, aliquando trifidas haſtas habuiſſe:

ſparſis ſubito correpta caniſtris
Sylveſtris Regina chori decurrit in equum
Vertice ab Ogygio, trifidamque huc triſtis, & illuc
Numine ſanguineo pinum dejectat, & ardens
Erectam attonitis implet clamoribus urbem.

Quin & in Tabula III. apud Dempſterium Etrur. Regal. iterum videas Bacchum trifido fulmine armatum, de quo videas, quae congeſſimus in noſtris ad ipſum Dempſterium Paralipomenis pag. 24., 25., ubi ipſum ex Etruſcorum diſciplina inter Deos fulguratores cenſitum fuiſſe, oſtendimus.

Quia vero varias, & plerumque perturbationis plenas actiones Bacchantum in his Tabulis intuemur, ut propemodum videatur, illas omnino tumultuarias fuiſſe, prout furor ſuggereret, operae pretium ducimus errorem hunc ſubmovere, demonſtrando, univerſos hoſce lymphatorum motus, etſi concitatos, lege quadam, atque ordine firmiſſimo fuiſſe praeſcriptos. Nam quemadmodum introducta fuerant in honorem expeditionis Bacchi adverſos Indos, totamque illius hiſtoriam complectebantur, ita prorſus ad imaginem bellicae exercitationis regebantur. Erant in hoc ſpectaculo militares circuitus, unde Statius Sylv. II.:

Et tu Baſſaridum rotator Evan.

Thyrſi pro armis habebantur. Dividebantur turmae, & viciſſim ſibi obcurrebant, iterumque conveniebant, quod quater fieri debuiſſe, conligimus ex eodem Statio Achill. I., & II., qui praeter univerſos Scriptores pompam hanc dilucide nobis deſcripſit. Ordo hujuſmodi erat.

I. Conveniebant noctu Bacchae in Luco ſacro:

Lucus Agenorei sublimis ad orgia Bacchi .

II. In furorem actae discerpebant pecora, & arbores evellebant:

scissumque pecus, terraque revulsas
Ferre trabes, gratosque Deo praestare furores .

Tunc immanes ululatus ciebant, quod erat, veluti pompae anteludium, atque indictio Sacrorum imminentium. Virgilius Aeneid. IV.:

qualis commotis excita sacris
Thyas, ubi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithaeron .

III. Antistes profanos abire jubebat:

Lex procul ire mares iterat praecepta verendus
Ductor, inaccessumque viris edicitur antrum ;

nam edictum ter repti debebat. In Luco autem antrum, sive sacellum esse debebat, in quo secretiora peragerentur, Tironibus seclusis.

IV. Dein in fine Luci sacri Antistita ramum figebat, quousque profanis adcessus concedebatur.

V. Choriphaea, dissoluto membrorum motu, ceteras praecedebat:

Illum virgineae ducentem signa catervae .

VI. Haec Nebrida ab humero sinistro suspendebat, atque hedera coronabatur, eaque pectus velabat:

Ut vero a tereti submisit Nebrida collo .

VII. Vittam purpuream sumebat.

VIII. Thyrsum vehementer agitabat:

Vibravitque gravi redimitum missile dextra .

IX. Sic invocato Bacchi Numine, ut interesset, turba prona vultus adtollere non audebat:

Attonito stat turba metu ,

resonantibus interim omnigenis instrumentis, de quibus peculiari Dissertatione aliqua protulimus in hujus libri exordio.

X. Tale nobis obiicitur initium Sacri, donec circa dimidium noctis furor cessaret, & quies caperetur:

Scandebat roseo medii fastigia caeli
Luna jugo .
Consedere Chori, paulumque exercita pulsa
Aera tacent .

Id tempus ſomno datum erat, dum haec Sacra inter feminas conſtiterunt, non ſic, admiſſis in ea viris, ex quo licentia eo proceſſit, ut acerrima lege, quam recitat Livius toties citatus, Bacchanalia proſcriberentur.

XI. Dato ſigno iterum ſurgebant:

Sed Bacchi comites, diſcuſſa nube ſoporis,
Signa choris indicta putant.

XII. Signo dato cum ſonitu tibiae, Coryphaeae ordinantur turmae, & unaquaeque repetit veſtigium ſuum:

Jamque movent greſſus; thiaſiſque Iſmenia buxus
Signa dedit.

XIII. Diviſae turmae, vario ſemper circuitu, quater ſibi obcurrunt ad fremitum tympanorum, & cymbalorum:

quater aera Rheae, quater evia pulſant
Terga manu, varioſque quater legere recurſus.

XIV. Ad numeros Muſicos elevant, & demittunt Thyrſos:

Tunc Thyrſos pariterque levant, pariterque reponunt.

XV. Circumitur per Lucum multiplici ambitu:

Multiplicantque gradum.

XVI. Dividitur turba in claſſes, quae ſibi invicem obcurrunt:

nunc obvia verſae
Pectine Amazonio, modo, quo citat orbe Lacaenas
Delia.

XVII. Quod viciſſim pluries fieri debebat ad imitationem bellici occurſus, immo veluti alter alteri ſuppetias ferret, & teſtudo inſtrui deberet, brachia brachiis invicem jungebant, quae omnia legis impatiens neglexit loc. cit. Achilles:

Nec ſervare vices, nec jungere brachia curat.
Tunc molles greſſus, tunc aſpernatur amictus
Plus ſolito, rumpitque choros, & plurima turbat.

Hucuſque deſcriptionem hujus pompae perduxit Statius, cetera aliunde expetenda.

TAB.

TAB. CLXXII.

BACCHANALIA CUM CAPRO.

PErturbato veteri Bacchanaliorum ritu, qui, exclusis penitus Viris, a Matronis tantummodo exercebatur, cujus partem supra adtigimus, multo plura praeter indolem hujus Sacri introducta sunt ex virorum consortio, & plerumque obscoena cum sacrificiis, ut augustiora viderentur. Bacchus igitur in hac Tabula, plaudentibus Faunis, Capri sacrificium exspectat. Plutarchus alias citatus de Cupid. Divit.: Ἡ πάτριος τῶν Διονυσίων ἑορτὴ τὸ παλαιὸν ἐπέμπετο δημοτικῶς, καὶ ἱλαρῶς. *Accepta a majoribus Bacchanalium festivitas antiquitus plebejo more, & hilari agebatur.* (Non heic putemus a Plutarcho describi Graeca Bacchanalia, sed ea, quae, jam corrupta, introducta fuerunt apud Italos.) Dein sequitur: Ἀμφορεὺς οἴνου, καὶ κληματίς, εἶτα τράγον τις εἷλκεν. *Amphora vini, & palmitis sarmentum, tum aliquis* Caprum trahebat. (En Tabulae praesentis explanatio.) Tandem subdit: Ἄλλος ἰσχάδων ἄρριχον ἠκολούθει κομίζων. ἐπὶ πᾶσι δὲ ὁ φαλλός. ἀλλὰ νῦν ταῦτα παρορᾶται καὶ ἠφάνισται, χρυσωμάτων περιφερομένων, καὶ ἱματίων πολυτελῶν, καὶ ζευγῶν ἐλαυνομένων, καὶ προσωπείων. *Sequebatur alius calathum ficis plenum gestans, ultimo loco Phallus. Nunc ea negliguntur, & obsoleta sunt, dum interim gestantur aurea pocula, vestes pretiosae, bigae agitantur, personatique incedunt.* Consonant haec postrema cum triumphali illo hujus pompae adparatu, quem ad vivum repraesentat Athenaeus loco supra citato.

Bacchi calicem idem Athenaeus lib. XI. ita describit: Πλημόχοη σκεῦος κεραμεοῦν βεμβικῶδες ἑδραῖον ἡσυχῆ, ὃ κοτυλίσκον ἔνιοι προσαγορεύουσιν, ὥς φησι Πάμφιλος. *Plemochoe, vas fictile, lusorio puerorum turbini simile, ima sede leviter, modiceque stabili fundatum, quod adpellant quidam Cotyliscum, ut ait Pamphilus.* Hujusmodi plures, atque artificiose tornatos habeo in Museo, ex antiquis sepulcris Etruscorum erutos in Agro Perusino, & Tuderte.

In linea inferiore sub palma sedet praecipua Bacchi Sacerdos vite coronata, cujus palmitibus quatuor orbis cardines designat, fusis capillis, quod maxime servari debebat in hisce sacris, quae ad animae solutionem introducta jactabantur. Ovidius de Rem. Amoris:

Ibat, ut Edono referens Trieterica Baccho
Ire ſolet fuſis barbara turba comis.

& Nonnus Dionyſ. XIV. verſ. 346.:

ἐπ' ἀμφοτέρων δὲ οἱ ὤμων
Ἀπλεκέας πλοκαμῖδας ἀνερρίπιζεν ἀήτης.

in utriſque vero ipſi humeris
Implexos capillos ventilabat aura.

E regione Apollo citharam pulſat, ſive interim unus ſit ex Bacchi coetu, qui Apollinis vices ementito cultu repraeſentet, quod paſſim obſervatur in praeſentibus noſtris Picturis. Ejus etiam coronam in quatuor prolixos palmites luxuriantem, alibi incognitam, heic iterum notandam proponimus.

Ceterum Capri ſacrificium Baccho ſemper propoſitum erat, ob adverſitatem hujus pecudis in vitem. Ovidius Faſt. lib. I.:

Rode Caper vitem, tamen hinc cum ſtabis ad aram,
In tua quod ſpargi cornua poſſit, erit.

Id ſacrificium more ceterorum fieri ſolebat, exſoleto antiquiore ritu, quo victimae in Bacchanalibus ad oſtentationem furoris diſcerpebantur, quorum carnes crudae a conſortibus Sacri comedi ſolebant.

TAB. CLXXIII.
PROCESSUS BACCHICUS.

IN utraque parte prioris Vaſculi Bacchus exertus Baccham adloquitur, quae in ipſum converſa aliquid ediſſerit ex Myſteriis.

In ſequente lagenula Juvenis nudus ſerpentem ſiniſtra conſtrictum ad aram adfert. Angues, nonniſi laeva manu capi ſolere, Marſorum ritualia ſuperſtitioſiſſime docebant, de quo videnda, quae praemiſimus in Notis ad Gemmas ſelectiſſimas Tom. I., quae propediem edentur, ubi nonnulla de ſerpentum Sacris dicta ſunt.

Praeſens vero typus facile ad Bacchum referri poteſt, in cujus Myſteriis potiſſimam partem Draco obtinebat, eratque id unum, quod in myſtica Ciſta tantillum revelari licebat. Magna quoque huic reptili auctoritas ſtetit in Sabaziis, ut liquet ex Arnobio lib. V.: *In quibus aureus coluber in ſinum demittitur conſecratis, & eximitur rurſus ab infe-*

inferioribus partibus, *atque imis*. Haec in memoriam Jovis Patris introducta sunt, qui in Draconem conversus Bacchum ex Proserpina genuit. Eusebius Praeparat. Evangel. lib. II. cap. III.: Σαβαζίων γοῦν μυστηρίων σύμβολον τοῖς μυουμένοις ὁ διὰ κόλπου Θεός. Δράκων δέ ἐστιν οὗτος διελκόμενος τοῦ κόλπου τῶν τελουμένων, ἔλεγχος ἀκρασίας Διός. *Enimvero Sabaziorum utique Mysteriorum iis, qui sacris initiantur, symbolum est, Deus sinum pervadens: Deus autem iste Draco est, qui per medium eorum, quos solemni ritu initiant, sinum trahitur, certum plane impotentis Jovis libidinis argumentum*. Adtigit hanc superstitionem Diodorus Siculus lib. IV.: Φασὶ γὰρ ἐκ Διὸς, καὶ Περσεφόνης Διόνυσον γενέσθαι, τὸν ὑπό τινων σαβάζιον ὀνομαζόμενον. οὗ τήν τε γένεσιν, καὶ τὰς θυσίας, καὶ τιμὰς νυκτερινὰς, καὶ κρυφίας παρεισάγουσι, διὰ τὴν αἰσχύνην τὴν ἐκ τῆς συνουσίας ἐπακολουθοῦσαν. *Fertur & alius fuisse Dionysus, qui Jove, ac Proserpina natus, a quibusdam Sabazius nominatur. Cujus ortum, sacrificia, & cultum noctu, & secreto (sic enim foedi coitus affecla suadet pudor) introducunt*.

TAB. CLXXIV.
DIMISSIO BACCHANALIORUM.

QUemadmodum initia exordiebantur a lavatione, ita prorsus illis absolutis, nova corporis ablutio praescripta erat. De praecedente testem adduco Pausaniam in Boeoticis lib. IX., ubi ait, de eo, qui in Trophonii specum descendere statuisset, praeter ceteras praeparationes, Τὸ δὲ λουτρὸν ὁ ποταμός ἐστιν ἡ Ἕρκυνα. *Hercyna fluvio se abluit*; Et Libanius Declamat. XIX.: Οὕτι γὰρ τἄτ' ἄλλα καθαροῖς εἶναι τοῖς μύσταις ἐν κοινῷ προαγορεύουσιν, οἷτε τὰς χεῖρας, τὴν ψυχὴν, τὴν φωνὴν Ἕλληνας εἶναι. *Nam Antistites inter alia initiatis in publico praedicunt puris esse oportere, verbi gratia manibus, animo, voce Graeca praeditis*. Et in Eleusiniis, dum produceretur Bacchi simulacrum, novum lavacrum fieri oportebat. Hesychius in Ῥεῖτοι: Ἐν τῇ Ἀττικῇ δύο εἰσὶν οἱ πρὸς τῷ Ἐλευσῖνι ῥειτοὶ, ῥωγμοί. καὶ ὁ μὲν πρὸς τῇ θαλάττῃ τῆς πρεσβυτέρας θεοῦ νομίζεται. ὁ δὲ πρὸς τὸ ἄστυ, τῆς νεωτέρας, ὅθεν τοὺς λουτροὺς ἁγνίζεσθαι τοὺς θιάσους. *In Attica duae sunt prope Eleusinem fluentes scatebrae, quarum altera erat consecrata Seniori Deae, altera vero ad Urbem Juniori, unde lavacris purificantur Thyasi*. His adcedit Livius lib. XXXIX.: *Decimo die*

coenatum, *ac pure* lautum *in Sacrarium* (Bacchi) *deductūrum*. Abſolutis vero initiis, iterum lavabantur, non ad purificationem, quam in Sacris pleniſſime adquiſitam reputabant, ſed tantummodo, ne divina illa mens a Deo in Orgiis infuſa in actionibus profanis pollueretur. Pauſanias in Boeoticis lib. IX. ait: Τὰς γυναῖκας φασὶ τὰς Ταναγραίων πρώτας Διονύσου τὰ ὄργια μυηθείσας ἐπὶ θάλασσαν καταβῆναι καθαρσίων ἕνεκα. *Tanagraeorum primarias Matronas arcanis Liberi Patris ſacris initiatas ad mare, quo expiationis cauſſa lavarent, deſcendiſſe*.

Itaque Bacchum in hac Tabula producimus, qui, Sacris abſolutis, inter miniſtros balnearios lotus ſtrigili de more perfricatur.

TAB. CLXXV.

BACCHUS CUM DIIS DOMESTICIS.

BAcchum vidimus hucuſque operoſum circa Myſteria ordinanda; nunc domi inter Deos familiares otioſum intuemur. Sedet nudus in ſella, Pantheriſcum recens natum brachio ſubſtinens, & fovens. Plerumque ad ejus pedes in Simulacris conſtitutus eſt ſpecie blandientis Deo altori, a quo adfluenter vino potatur. Ratio adfinitatis ea communiter traditur, quod ferociſſima quaeque pectora vino domentur. Hinc plerumquae ejus currum gemina tigride actum obſervamus. Ovidius Metam. III.:

Quem circa tigres, ſimulacraque inania lyncum,
Pictarumque jacent fera corpora pantherarum.

& Silius Italic. lib. XVII. Punicor.:

Qualis odoratis deſcendens Liber ab Indis
Egit pampineos fraenata tigride currus.

Dea ingenti velo a vertice pendente cum cyatho, & gutturnio, quae Baccho potum miniſtrat, facile Deam Liberam repraeſentat; Vir armatus cum lancea Lar Publicus eſt. Ultimam Matronam velum ex humero adtollentem Pudicitiam libenter adpellarem, aut Veſtam; nam pari geſtu utraque obcurrit in Nummis.

CLASSIS

CLASSIS XIV.

MILITIA ETRUSCORUM.

TAB. CLXXVI.

LARUM EXSPEDITIO MILITARIS, ET RES BACCHICA.

UNiverſa vitae officia, atque inſtituta, in quibus Etruſci occupabantur, proſequentes, poſt Sacerdotia, atque initia ab ipſis ſuſcepta in Bacchi Myſteriis (nec enim aliorum adhuc veſtigia deprehendimus) ſuccedit Militia, qua maxime claruerunt cum finitimis ad Imperium propagandum, quod diu florentiſſimum tenuerunt ab Alpibus ad Fretum uſque Siculum, nuſquam, niſi ſero, nec ſine injuria a Romanis confringendum.

Quemadmodum vero Etruſci actiones univerſas humanae vitae ſymbolice adumbrare ſolebant, ſemperque ſublimiter, atque magnifice ſub Numinum imaginibus, ecce nunc Militaris exſpeditio, reditus, & triumphus ſub Larum imagine continenter expreſſus, quaſi Lares integrum negotium propria manu navaverint.

In ſecundo ex Vaſculis gemini Lares Viales nudi arma ſumunt adverſus hoſtes; quemadmodum enim Lares Domeſtici ad cuſtodiam familiarum, Publici vero Urbium remanebant, Viales procul a moenibus adverſariis obcurrebant, ut ex ſequentibus Tabulis manifeſtum erit. Haec populorum fiducia de Larum vigilantia perſpicue patuit bello Punico, cum Hannibal jam Italiam magna ex parte teneret, & Etruriae imminens cuncta terroribus obruiſſet. Omnia tunc vota ad Lares converſa, ut Urbes ſibi creditas cuſtodirent, nec alteri magis Deorum adtributum eſt, quod Hannibal profugiſſet, quam Cuſtodibus iſtis, qui tot aras, tot templa in Urbibus habebant, quot foci, quot domus in unaquaque numerarentur. Propert. II.:

Hannibalemque Lares Romana ſede fugantes.

& Feſtus: *Hoſtilis Laribus immolabant, quod ab his hoſtes arceri putabant.* Haec praemittenda erant, ut mens Etruſcorum in ſequentibus Tabulis manifeſtius eluceſcat.

Caput

Caput Matronae reticulo gemmato redimitum votivum eſt pro exſpeditione aliqua, cui Maritus, aut Nati intereſſent. Virgilius VIII. verſ. 556.:

Vota metu duplicant matres, propiuſque periclo
It timor, & major Martis jam apparet imago;

& Statius Thebaid. VII.:

trepido tamen agmine matres
Conſcendunt muros, inde arma nitentia natis,
Et formidandos monſtrant ſub caſſide patres.

& lib. III.:

At nuptae exanimes, puerique, aegrique parentes
Moenibus effuſi per plana, per ardua paſſim
Quiſque ſuas avidi ad lacrimas miſerabile currunt.

In altero ex Vaſculis imprudenter a Pictore conjunctis res Bacchica agitur. Praeit Baccha, ſubſequitur Silenus cothurnatus. Unum heic notandum obcurrit, nempe rota intermedia loro circumplexa, in qua turbinem agnoſco, ſingulare Bacchi ſacramentum, quod multipliciter exſibilat Clemens Alexandr. Cohortation. ad Gentes cap. II.: Τὰ γὰρ Διονύσου μυστήρια τέλεον ἀνάνθρωπα. ὃν εἰσέτι παῖδα ὄντα, ἐνόπλῳ κινήσει περιχορευόντων Κουρήτων, δόλῳ δὲ ὑποδύντων Τιτάνων, ἀπατήσαντες παιδαριώδεσιν ἀθύρμασιν οὗτοι δὴ οἱ Τιτᾶνες διέσπασαν, ἔτι νηπίαχον ὄντα, ὡς ὁ τῆς τελετῆς ποιητὴς Ὀρφεύς φησιν ὁ Θράκιος.

Κῶνος, καὶ ῥόμβος, καὶ παίγνια καμπεσίγυια,
Μῆλά τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων.
Καὶ τῆς δε ὑμῖν τῆς τελετῆς τὰ ἀχρεῖα.

σύμβολα, οὐκ ἀχρεῖον εἰς κατάγνωσιν παραθέσθαι. ἀστράγαλος, σφαῖρα, στρόβιλος, μῆλα, ῥόμβος, ἔσοπτρον, πόκος. *Dionyſi enim myſteria ſunt plane inbumana, quem, cum eſſet adhuc puer, ac circum ipſum Curetes armata ſaltatione agerentur, dolo ſubeuntes Titanes puerilibus quibuſdam ludis deceptum membratim decerpſerant, quemadmodum Thracius Orpheus hujus ſacri vates cecinit:*

Turbo, trochus, tum queis inflexus membra cientur
Ludicra, & auricomi blandarum ex arbore foetus
Heſperidum.

Inutilia autem hujus myſterii ſymbola non fuerit inutile ad ea condemnanda

da adducere; *Talus*, *Pila*, *Trochus*, *Poma*, *Turbo*, *Speculum*, *Vellus*. Conus iſte zona circumvolutus agitabatur. Tibull. I. 5. 3.:

Namque agor, ut per plana citus ſola verbere turbo;

& Virg. VII. 378.:

Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo.

Sectio circuli clavis diſtinti pars Calendarii eſt, quae totidem infixis ſignis menſem oſtendit, quo Bacchanalia recurrebant. De hoc argumento plura dicta ſunt initio hujus Libri in Diſſertatione de Philoſophia Etruſcorum.

TAB. CLXXVII.

LARIS EXSPEDITIO.

IN poſteriore Vaſculo Lar exſpeditioni paratus cum lancea, parazonio, & calceis commeatum petit a Deabus Domeſticis, Veſta ſedente, quae moerorem exprimens vultum operit ſpeculo, dum Larunda cibum illi ex patera porrigit.

Vas ſuperius ad Bacchanalia, quae numquam nos deſerunt, pertinet. Heic notanda eſt formula Matronae ad aram adcedentis, ſiniſtro pede ſuſpenſo, ut vix digitis dextri inſiſtat. Ratio hujus inſtituti facetiſſima eſt, ut corpus minima ſui parte terram tangeret, reliquum vero ad Deos adſurgeret. Martialis XII. verſ. 78.:

Multis dum precibus Jovem ſalutat,
Stans ſummos reſupinus uſque in ungues.

Terrebat quoque auſpicium ſiniſtri pedis, ne Sacrarium tangeret, ut ejus omen removeretur. Propert. III. 1. Callimachi Manes interpellans, qui ſacrum nemus Elyſiorum obtinuerant:

Dicite, quo pariter carmen tenuaſtis in antro,
Quove pede ingreſſi, quamque bibiſtis aquam;

& Juvenal. Satyr. X.:

quid jam dextro pede concipis, ut te
Conatus non poeniteat, votique peracti.

Adde Virgilium in Hymno Herculis Aeneid. VIII.:

Salve, vera Jovis proles, decus addite Divis,
Et nos, & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.

TAB.

TAB. CLXXVIII. ET CLXXIX.

LARES PUGNANTES.

IN priore Tabula Lares pileo Laconico ornati, quem, vel confecto itinere, vel militari exſpeditione, ſacellis ſuis ſuſpendi gaudebant, ut Libro priore obſervavimus, veluti in inſidiis poſiti, contracto corpore, occulte procedunt, ut hoſtem venientem ex improviſo adoriantur.

In altera Tabula binos obſervamus ex utraque parte depictos, qui equis inſidentes in hoſtes inſiliunt. Geminas lanceas uterque gerit. Pindarus Pythior. Od. IV. verſ. 138.:

ὁ δ' ἄρα Χρόνῳ
Ἵκετ', αἰχμαῖσι διδύμαισιν ἀνὴρ
Ἔκπαγλος.

At ille tandem
Venit haſtis geminis Vir
Terribilis;

& Virgilius Aeneid. V. 557.:

Cornea bina ferunt praefixa haſtilia ferro;

& rurſus Aeneid. VII. 688. de Latinis:

pars ſpicula geſtat
Bina manu, fulvoſque lupi de pelle galeros.

Canes ſingulis adſiſtunt, perpetui illorum comites. Ovid. Faſt. V.:

At canis ante pedes ſaxo fabricatus eodem
Stabat, quae ſtandi cum Lare cauſſa fuit?
Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque.
Compita grata Deo; compita grata cani.
Exagitant & Lar, & turba Diania fures:
Pervigilantque Lares, pervigilantque canes.

TAB.

TAB. CLXXX.

TRIUMPHUS POST BELLUM.

LAres, qui in prioribus Tabulis bellum agunt, in hac praesenti Etrusco Duci victoriae gloriam adtribuunt. Nam in priore linea adstant Triumphanti; non enim speranda est in Vasculis diversi temporis, & artificii ejusdem allegoriae continuatio, quae ex ingenio Pictoris proficiscitur; quandoquidem si alibi placuit integrum bellum per Lares exspedire, nunc vero per aliquem ex Lucumonibus, sed Laribus adstantibus, Heroum more nudis, praeter galeam, & clypeum.

Igitur Triumphator, depositis militaribus ornamentis, pacificatoris indumento contentus curru vehitur. Institutum Triumphorum Etruscis adtribuit Florus lib. I. cap. 5.: *Neque pace Tarquinius, quam bello promptior; duodecim namque Thusciae populos frequentibus armis subegit. Inde Fasces, Trabeae, Curules, Annuli, Phalerae, Paludamenta, Praetexta; inde quod aureo curru quatuor equis triumphatur, Togae pictae, tunicaeque palmatae; omnia denique decora, & insignia, quibus imperii dignitas eminet.*

Praeter Lares Hostilios, seu Viales, quorum auspicio victoria parta est, praecedit inter equos vir barbatus, tunicula florea indutus, cum galero insignibus cornibus instructo, qui nihil commune habet cum militia. Audiamus Appianum Alexandr. dello Bello Punico, ubi Etruscorum Triumphum ita describit: Ἀυτοῦ δ' ἡγοῦνται τοῦ στρατηγοῦ ῥαβδοῦχοι φοινικοῦς χιτῶνας ἐνδεδυκότες, καὶ χορὸς κιθαριστῶν τε, καὶ τιτυριστῶν, ἐς μιμήματα Τυῤῥηνικῆς πομπῆς. *Ipsum imperatorem praecedunt Lictores paludati, & chorus citharistarum, ac Satyrorum, Etrusco more cinctorum.* En igitur unus ex Satyris Larvatis, qui ex veteri instituto triumphum comitatur ad risum, & laetitiam provocandam. Martialis lib. I. 5.:

Consuevere jocos vestri quoque ferre triumphi,
Materiam dictis, nec pudet esse ducem.

& lib. VIII. 7.:

Festa coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros cum comes ibit equos.
Fas audire jocos, leviora quae carmina Caesar.

In linea inferiore triumphans, curru dimiſſo, Laribus gratias refert, quod, ipſis opitulantibus, res bene ceſſerit.

In clypeo unius ex Laribus tres globuli conſpicui ſunt. Horum vim minime adſequutus fuiſſem, niſi alterius Laris armati inſigne ſigillum palmare obſervaſſem, Etruſci operis, clypeum hujuſmodi ſubſtinens. Claviculi ex interna parte laminas firmant verſatiles, quibus evolutis, clypeus amplificatur, illiſque reductis, reſtringitur, ut extra conflictum foret magis expeditus.

TAB. CLXXXI.

OVATIO.

Ex hac Tabula intelligimus, qualia forent Signa militaria Etruſcorum, quae ceteroquin ignota nos laterent; haſtilia nempe, quibus Aquila, contractis alis, inſidebat. Id nationis inſigne fuit ob Jovem cuſtodem populi, & revera in clypeo alterius Laris in Tabula praecedente Aquilam depictam obſervamus, ſed volantem; vexillum vero, ſive totius exercitus Labarum, ſemel tantum intuemur in Urna ſepulcrali in Tab. CLXXVIII. Muſ. Etruſc. Tom. I. Praeſens Pictura Ovationem refert, decus adtributum victori, qui bellum minus difficile ſuperaſſet, nam, interdicto curriculo, vectus equo albo introducebatur, magna quidem pompa, licet impare triumphis.

Ex alio latere Lar Domeſticus, qui domi cuſtos conſtiterat, Vialem redeuntem excipit cum ſono citharae, adſtante cane, quem habuit cuſtodiae conſortem, de quo ſupra ad Tab. CLXXIX., in quo quidem maximam conformitatem cognoſcimus Etruſcae Mythologiae cum Romana, quae inde penitus promanavit.

Quas vero eſſe putemus Mulieres, quae cum Deo citharizante modulantur? Lara compar Laris Vialis, quae factorum conſcia canit Epinicium, at Domeſtici ſocia, elata manu cum tigillo, pulſatione continua greſſus rhythmicos praeſcribit, ἀναβάλλεσθαι τοῦ ῥυθμοῦ, nobis *far la battuta*. Regulam, quam manu elevat cum tigillo tranſverſo, quod volubile fuiſſe puto, ejuſque uſum deſcripſi in Diſſertatione de Muſica Etruſcorum, quae initio hujus Tomi habetur; ea enim in hiſce pompis magnifica ſemper intererat. Appianus Alexandr. loc. cit. de Etru-

Etrufcorum triumphis : Ἀυτοῦ δ' ἡγοῦνται τοῦ στρατηγοῦ ῥαβδοῦχοι φοινικοῦς χιτῶνας ἐνδεδυκότες ; καὶ χορὸς κιθαριστῶντε, καὶ τιτυριστῶν, ἐς μιμήματα Τυῤῥηνικῆς πομπῆς, περιεζοσμένοιτε, καὶ στεφάνην χρυσῆν ἐπικείμενοι. Ἴσατε βαίνουσιν ἐν τάξει μετὰ ᾠδῆς, καὶ μετ' ὀρχήσεως. Λυδοὺς αὐτοὺς καλοῦσιν, ὅτι (οἶμαι) Τυῤῥηνικοὶ Λυδῶν ἄποικοι. *Ipſum imperatorem praecedunt lictores paludati, & chorus citharistarum, ac Satyrorum Etruſco more cinctorum, ornatorumque coronis aureis, qui pariter incedunt ordine, cum cantu, & cum tripudio, Ludiones ipſi vocant, ideo, opinor, quia Etruſci Lydorum coloni ſunt.*

TAB. CLXXXII. CLXXXIII. CLXXXIV. ET CLXXXV.

SACRUM TRIUMPHALE.

PRaeter Templa conſtantia, quae loco publico pro communi uſu Religionis habuerunt Etruſci, ac praeter privata, quae pro modo facultatum in omnium aedibus conſtituta erant ad Deos Penates, praeſertim vero Lares cuſtodiendos, colendoſque, quae proprio nomine Lararia adpellari ſolebant, de quibus ſermonem fecimus in Libro priore, erant etiam & temporaria, & lignea, quae ſtatis diebus conſtrui ſolebant in Compitis. Dionyſius Halicarnaſs. lib. IV.: Κατὰ πάντας ἐκέλευσε τοὺς στενωποὺς ἱερὰς κατασκευασθῆναι καλιάδας ὑπὸ τῶν γειτόνων ἥρωσι προνωπίοις, καὶ θυσίας αὐτοῖς ἐνομοθέτησεν ἐπιτελεῖσθαι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, πελάνους εἰσφερούσης ἑκάστης οἰκίας..... Ἣν ἔτι καθ' ἡμᾶς ἑορτὴν ἄγοντες Ῥωμαῖοι διετέλουν, ὀλίγαις ὕστερον ἡμέραις τῶν κρονίων, σεμνὴν ἐν ταῖς πάνυ καὶ πολυτελῆ. *Per omnia compita mandavit, ut viciniae ſacella lignea dedicarent Geniis Compitalibus, & quotannis eis ſacra facerent, conferentibus liba ſingulis domibus....... Quod Feſtum noſtra quoque aetate Romani agitant paucis diebus poſt Saturnalia, ſumma cum veneratione, atque magnificentia.* Id inſtitutum Tarquinio Priſco adtribuit Plinius XXXVI. 27. expreſſe declarans, Feſtum id in honorem Larium fuiſſe ordinatum.

Huc pertinere puto Sacella, quae in formam magnifici armarii depicta, & maxime ornata obſervantur in hiſce Tabulis, quae, licet aliquando in privatis domibus exſiſterent, tamen quae ampliora ſunt, magiſque magnifica, ex illis eſſe puto, quae in Compitis, hoc eſt

quadriviis lignea fieri solebant, cum praesertim Laribus pro ingenti aliquo beneficio conlato obsequia reddi deberent.

En igitur in hac Tabula prospectus extemporanei Sacelli compitalitii, in quo allegorice, atque magnifice victoria ab Etrusco Duce reportata sub Deorum imagine celebratur. Grandem hanc adstruendarum rerum rationem saepe observavimus in Nuptiis, & notabimus in Funeribus; nec mirum in Natione, cui Homerus factus erat familiaris. Sedet in Cella Jupiter Etruriae Dominus, & Custos. In fragmento post Auctores de Limitibus: *Scias mare ex aethere remotum. Cum autem Jupiter terram Etruriae sibi vindicavit, constituit, jussitque metiri campos, signari agros*. Tantaque fuit Etruscorum in Jovem Religio, ut sine illius templo justae Urbes non censerentur. Servius Aeneid. I. 226.: *Prudentes Etruscae disciplinae ajunt, apud conditores Etruscarum Urbium non putatas justas Urbes fuisse, in quibus non tres portae essent dedicatae, & votivae, & tot templa Jovis, Junonis, Minervae*.

Jovi igitur, veluti custodi, referenda erat victoria, quam unicus Lar Vialis reportasse ostenditur in hoc Vase, in quo conspicitur Jupiter sedens in Cella cum sceptro, adstante Lare Domestico, senili adspectu, qui innixus nodoso baculo, quem semper gerit, tamquam insigne potestatis, Lari reduci gratulatur. Ille lanceam substinens, & bulgam viatoriam ex humero sinistro prodeuntem, votum solvit, suspensis in Sacello armis, clypeo, gladio, & pileo Laconico.

Coetus Deorum Sacrarium circumstat in Tabula CLXXXI., quorum nomina proferre non vetat Religio, sed ignoratio; vix enim aliquos eorum agnoscimus ex adtributis. Praecedunt gemini Juvenes nudi cum serto florido, & speculo; subsequitur Dea cum cistula. Subest Baccha uvae racemum substinens, & lancem cum libo, cui bini ramusculi infixi sunt, quos alibi observavimus ex rore marino constitisse. Postremus est alter ex Laribus Vialibus cum clypeo, lancea, & bulga.

In Tabula CLXXXII. Dea altera flabellum, & cistam adtollit. Subsequens substinet arculam, imminentibus crotalis, una fortasse ex Bacchico coetu. Ultimus ex eodem choro lancem adtollit cum strue, sive libum umbilicatum, quod pariter ad Bacchi mysteria pertinuisse notavimus.

In

In operculo Tab. CLXXXIII. Bacchi Genius coronam lemnifcatam fubftinet, atque tympanum, dum Dea Libera fpeculum oftentat, & in Bacchum verfa parem coronam ornatiffimam fubftinet Lari obferendam; Laribus enim coronae tribuebantur, adfurgentibus foliis infignes, de quibus Feftus in *Donaticae*: *Donaticae coronae dictae, quod his victores in ludis donabantur, quae poftea magnificentiae cauffa inftitutae funt fupra modum aptatum capitibus, quali amplitudine fiunt, cum Lares ornantur*. Bacchus placentam, & vitem bifidam adtollit; & Dea altera flabellum, & arculam facrorum regit.

TAB. CLXXXVI.
LAR VICTOR.

ADmiranda fuit Etrufcorum Pictorum diligentia in exprimendis unico lineamento diverforum temporum actionibus, quod potiffime tribuendum eft intelligentiae, atque ufui adtributorum unum, alterumve factum manifefte indicantium. Ecce hic Lar Vialis e bello redux cum hafta, parazonio, & pera, qui coronatus rem feliciter geftam, expletamque teftatur. At exacto triumpho, indictis ad laetitiam Bacchanalibus, toto fe cultu feftivae huic celebritati gemmatus parat. Balteus ex baccis, & margaritis conftat. Tunicula, & calcei unionibus adornantur, & pede dextero calcat tympanum tintinnabulis circumfeptum, quemadmodum confpicitur & linea finiftrae coxae adligata. Omnia Bacchum fpirant, & praecipue ara, cui tres globuli Hefperidum, nempe poma, quae in Cifta myftica fervabantur, de quibus Orpheus apud Clementem Alexand. loc. cit. ad Tab. CLXXVI.:

Μῆλά τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων.

Et quae Hefperides miferunt aurea mala.

Caduceum & ipfum gemmatum pacis fancitae fignum fubftinet. Plinius XXIX. 3.: *Hic complexus anguium, & efferatorum concordia cauffa videtur effe, quare exterae gentes caduceum in pacis argumentum circumdata effigie anguium fecerint.*

Larunda Bacchico cultu ornata non minore luxu ad Aram confiftit, placentam illam umbilicis, five pyramidulis exafperatam obferens.

Anſer ad ejus pedes, animal omnino domeſticum, Deae Domeſticae maxime conveniebat, quin & in manu Laris conlocatum obſervamus in ſpecioſiſſimo ejus Sigillo aereo Muſei Coratiani, quod peculiari Diſſertatione inluſtravimus Volumine I. Monumentorum Societatis Columbariae, ubi plura de hoc adtributo.

Corona, & pampinus ſuſpenſa inſignia ſunt Bacchanaliorum indictorum, veluti indicia ſolemnitatis.

TAB. CLXXXVII. ET CLXXXVIII.

LARES IN BACCHANALIBUS.

NIl gratius populo praeſtari poterat, quinimmo nec Diis, quam Bacchanalia exhibere. In Linea ſuperiore gemini Lares Domeſtici baculis muniti ſedent inter Sacra, dum totidem Larundae compares ſedent ſuper arculas, in quibus ſacra arcana ſervabantur. Unum ex Laribus Ciſtulam quadratam elevat, in cujus operculo ſemiadaperto Serpens Orgius depictus eſt, quemadmodum & in linea ſubſequente, proditque pampinum, de qua in adnotatione ſuperiore.

Iidem Lares recurrunt in Linea inferiore, quorum unus e patera prodit ſphaeram illam arcanam, de qua alibi; Orbiculi, ut ſuſpicor, Seſamides ſunt, hoc eſt exigui panes ex Seſamo confecti, & ipſi maxime venerabiles, ut in Ciſtis ignoti venerarentur.

TAB. CLXXXIX.

LAR IN SACELLO.

LAr Victor in Cellula potiſſimum argumentum eſt hujus Tabulae, nam Minerva ſedens in altera parergon eſt ad indicandum, id honoris Deo adtributum fuiſſe pro re bellica feliciter geſta. Tabella ante Larem ſubfixa titulum indicat hujus obſequii, & fortaſſe votum perſolutum pro victoria, quod a Duce conceptum in dimicatione, a Populo, & Magiſtratu fideliter ſervari debebat, cujus inſtituti exempla plura ſuppeditat Livius. Laribus praeſertim haec vota nuncupabantur. Ovidius Faſt. V.:

praeſti-

Praestitibus Majae Laribus videre Kalendae,
Aram constitui, signaque parva Deum.
Voverat illa quidem Curius, sed multa vetustas
Destruit, & saxo longa senecta nocet.

Inter Deos circumstantes Bacchum cum cornu potorio agnosco, cui respondet Dea arculam adtollens.

In superiore linea idem Bacchus florem, sive uvae racemum adtollit cum pampino, & simul Cistam quadratam, cui obcurrit Baccha cum Thirso insigniter vittato, & tympano.

TAB. CXC. ET CXCI.
IDEM ARGUMENTUM.

PRaesens, & sequentes Tabulae unanimi testimonio consentiunt ad confirmandam expositionem meam de Laribus solemni pompa receptis in Patriam cum adcessu Bacchanaliorum. En igitur Lar redux exceptus in Sacello cum equo periculi consorte, & participe encomii. Lar, detracta casside, & deposita lorica, domestico sagulo indutus est. Hic aptari possunt, quae de lorica Domitiani cecinit Martialis VII. 1.:

I comes, & magnos illaesa merere triumphos,
Palmataeque Ducem sed cito redde togae.

Equus in fronte palmulam ventilat in signum victoriae, ut in Vitro Fabrettiano, & in meis Lucernis 28., 29. lib. III., & in alio Vitro Circensi Pisauri effosso, quod initio ejusdem libri inlustravi. Id gestamen, ut puto, aureum fuit. Quod inter phaleras computabatur. Suidas in Lexico: Φάλαρα, τὰς προμετωπίδας. τοὺς ἀσπιδίσκους. τὴν κόσμησιν τὴν κατὰ τὸ μέτωπον τῶν ἵππων. *Phalerae. Ornamenta equorum ante frontem poni solita. Scutula. Ornamentum, quod ante frontem equorum ponitur.* Has Nonius Cap. 18. computat inter *Belli ornamenta, & militaria dona*, & Virgilius Aeneid. V.:

Primus equum phaleris insignem victor habeto,

quarum originem ab Etruscis desumit Florus I. 5.: *Et inde* (ab Etruscis) *Fasces, Trabeae, Curules, Annuli, Phalerae &c.* Consonat nominis natura; nam phalerae a *phala*, sive *phalis*, turrium summitatibus, &

turri-

turribus dicte ſunt, quo nomine Urbes plurimas vocatas fuiſſe accepimus, veluti totum a parte, quae praecipua putaretur.

Adcedunt ad Lararium Bacchus, & Baccha, cum familiaribus donis; & haec poſtrema arcam Sacrorum coronatam. Euripides alias citatus in Jone verſ. 1337.:

Ὁρᾷς τόδ' ἄγγος χερὸς ὑπ' ἀγκάλαις ἐμαῖς;
Ὁρῶ παλαιὰν ἀντίπηγ' ἐν στέμμασιν.

Vides hanc ciſtam manus brachiis ſub meis?
Video antiquam ciſtam involutam coronis.

& Ovidius Metam: II. 14.:

Pura coronatis portabant ſacra caniſtris.

Solemni velo Sacro ſuper humeros de more ornata eſt, tympanaque ad ejus pedes jacent.

In averſa parte idem Bacchus, & Baccha ad Aram adcedunt ſacro paratam; deficit enim crater ad prunas miniſtrandas, atque uterque Deus velum e brachio pendentem defert, haud obſcure indicans, ſacrum nondum eſſe inchoatum.

TAB. CXCII. ET CXCIII.
IDEM ARGUMENTUM.

OMnia in his Tabulis reſpondent ſuperioribus. Unum excipe, quod Lar Vialis pacatus ſedet in Cellula, detractamque galeam parieti ſuſpendit. Ceterum peram viatoriam, perpetuum ejus geſtamen, ex humero oſtentat.

Bacchus muliebri cultu comptus crotala adtollit in ſiniſtra, pendentem vero e dextera guttum balſami ſubſtinet.

In hujus Vaſis poſtica eadem Ara conſpicitur, tribus laneis ſertis praecincta. Propertius IV. 6. 6. loquens de Sacrificio victoriali:

Coſtum molle date, & blandi mihi thuris honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.

Tres globuli ſub Ara in ſinu vittae teſſerae ſunt Trietericorum, de quibus ſaepe alibi.

De Ramo, quem Bacchus gerit, egimus ſupra non uno in loco.

TAB.

TAB. CXCIV., ET CXCV.
IDEM ARGUMENTUM.

ADeo consonat haec Pictura cum praecedenti, ut minime jam dubitem, utramque ex eadem officina prodiisse; simulque tam arcto foedere haec Vasa fuisse conjuncta, ut in eodem loco, eodemque tempore consepulta nostrorum temporum lucem exspectarint. Capita Matronarum in ipsorum collo depicta manifestum praebent indicium, ea fuisse olim votiva, inque Templis, atque Sacrariis obferri consuevisse ad sacra ministeria, & coenas religiosas celebrandas, cum, reportata de hostibus victoria, populus universus una simul cum Patriis Diis tripudiaret.

In hac vero Pictura nemo intervenit ex Familia Bacchi, sed tantummodo Lar Domesticus, & Publicus cum clypeo, ad quorum pedes insurgunt arbusculae.

Aversam partem occupat focus priori omnino similis, ad quem adcedunt geminae Larae feminei sexus cum speculis; nam aliunde conlegimus, hujusmodi instrumenta gemmata, limboque radiato exornata ab usu paterarum longe abiisse.

TAB. CXCVI., CXCVII., ET CXCVIII.
IDEM ARGUMENTUM.

VIgilat in Sacello Lar redux e bello, hastae innixus, clypeum deponens. Gratulabundae ad ipsum adcedunt quatuor Deae, una cum flabello, & laevo pede suspenso, quam formulam supra exposuimus ad Tab. CLXXVII.

Superior sedens pateram ad sacrum obeundum adtollit.

Baccha e regione cum vini situla, & lance pomis onusto conspicitur.

Ultima Dearum sedens speculum, & vittam subtollit. Poma, nam vulgari adpellatione ea nuncupavimus, fortasse sesamides sunt, quae inter bellaria Baccho acceptissima habebantur, vel denique sunt marinae ille pilae, quae Laribus dicari solebant. Nonius in *Strophium*:

Suſpendit Laribus marinas molles pilas, & *reticula*, & *ſtrophia*; de quo argumento fuſius egimus lib. I. in Diſſertion. de Laribus pagin. XXXIX.

Haec una Dearum, ceteris tribus conſtantibus, recedit a Sacrario, veluti aliud actura. Quid interim paret, conſtat ex Tab. ſequente CXCVI., quae Picturam exprimit in collo Vaſis, in qua continuatur hiſtoria. Adit ipſa Bacchum ſeorſim ſedentem, nudum omnino, niſi quod cothurnatus eſt, cui, reſignata lance cum globulis, ſpeculum obfert, ut Larem reducem hoc munuſculo exornet, dum illa roſarum lineam ſumit ad par officium exhibendum.

Bacchus converſus in Genium ſuum, qui illum praecedit ornatiſſimo cultu cum vitta, & ſerto floreo, aliquid imperat. Bacchus non ſemper vino inſiſtebat, quin etiam floribus maxime delectaretur. Hinc ille Ἄνθιος, hoc eſt *Floridus* cognominatus eſt, atque eo ſub nomine cultus, ut refert Pauſanias in Atticis, ipſeque ab Orpheo in Hymno Lyſii Lenaei vocatur Sacer Flos:

Παυσίπονος, θνητοῖσι φανεὶς, ἄκος, ἱερὸν ἄνθος.

Laborem ſedans, mortalibus adparens, remedium, Sacer Flos,

& Catullus in Nupt. Pelei, & Tetid.:

At parte ex alia Florens volitabat Jacchus.

TAB. CXCIX.

LAR, ET LARUNDA.

Notavimus ſupra, Lari reduci e bello Bacchanalia cum Larvatis fuiſſe exhibita. Thema hujus Tabulae eruendum eſt ex linea inferiore, in qua Lar barbatus, cum propria ſarcinula, barbarico ornatus veſtimento ab hoſtibus detracto, atque educto gladio victor exſultat.

Larunda pari cultu illum venientem excipit, qui cum Truculento Plautino uxorem ita videtur adloqui:

Mars peregre adveniens ſalutat Nerienem uxorem ſuam.

Paries undequaque refertus eſt imaginibus Auricularum, quod adhuc nullibi obſervaram. Animadverti tamen ſaepe in Gemmis aures inciſas, multaſque ex Argilla fictiles erutas e Luco ſacro Junonis apud Vejos

Vejos, quae ex Museo Fabrettiano in meum concesserunt, quin & alias similes vidimus defossas superioribus annis ex alio Luco sacro in Suburbio Pisaurensi, nunc apud Clarissimum meum Oliverium aetatis nostrae decus, magnumque venturae subsidium; Aures etenim computabantur inter Dorum donaria, ut conligitur ex Inscriptione Gruteriana pag. 1067. n. 1.:

MINERVAE . AVG
L. CALLIDIVS . PRIMVS
BRIXELLANVS . EX . ARG
LIB. II. ITEM . L. CALLIDIVS
PRIMVS . AVRES . ARGENTEAS
V. S. L. M

Quin etiam Aures adeo sacras habuerunt, ut illis, veluti Deabus, vota nuncupata sint, ut ex alia Inscriptione pag. 89. n. 6.:

AVRIBVS
D. D. D
PETRVSIA
PROBA
MAGISTRA

Quo obsequio, ne abhorrerent a nobis Aures Deorum, ut ait Cicero ad Octavium IV., illas demulcere solebant. Nil igitur mirandum erit, si in Vase Diis sacro duodenae Aures depictae videantur.

Pars aversa pari stilo, & cultu Nessum nobis obiicit Dejaniram humero transvehentem; nam ejusmodi Fabulas in Bacchanalibus exponere consueverant. Ille enim cum Hercule convenerat trans Evenum omnem aquis redundantem traductam. Ovidius Metam. IX. a v. 108.:

Nessus adit, membrisque valens, scitusque vadorum,
Officioque meo ripa sistetur in illa
Haec, ait, Alcide.

TAB. CC.

VENATIO.

Inter ſpectacula triumphalia, quae populo exhiberi ſolebant gratiora, cenſebatur Venatio, ſive in Circo, aut Theatro, campove circumſepto, pro populorum dignitate, atque opulentia. Huc referendam puto hanc Tabulam, in qua Venator nudus damas inſequitur; nec enim crediderim, venationem illam, quae in ſaltubus, & montibus exercebatur, Venatores, omni penitus dimiſſo velamine, & aperto capite, agitaſſe. Scio equidem, illis praeſcriptam fuiſſe veſtimentorum parſimoniam, ut de Ariſtaeo tradit Nonnus Dionyſ. V. verſ. 237.:

Καὶ ποσὶν ἐνδρομίδας θηρήτορα φῶτα διδάξας,
Ἄσχετον ἀΐσσοντα κυνοσσόον εἰς δρόμον ἄγρης,
Πέπλα φαεινομένης ἐπιγουνίδος ἄχρι φορῆσαι.
Μή ποτε θηρητῆρος ἐπειγομένου ποδὸς ὁρμὴ
Ἂψ ἀνασειράζοιτο καθιεμένοιο χιτῶνος.

Et pedibus calceamenta curſoria venatorem hominem docens
Retinere impoſſibile incitatum, canem agitantem in curſum venationis
Vela adparentia ad genua uſque ferre;
Ne quando venatoris incitati pedis impetus
Statim retraheretur, detracta veſte.

Cum vero noſter hic Venator nudus omnino adpareat, ſpectaculum id urbanum fuiſſe judico, & intra Septa populo exhibitum.

Ejus lancea bicuſpis eſt, cujuſmodi venatoribus adtribuit Gratius Cyneget. 110.:

tum ſtricta verutis
Dentibus, & gemina ſubiere haſtilia furca.

Specimen haſtae dentatae videas in mea Lucerna Tom. III. Tab. IX., bicuſpidis vero ex meis Libris Antiquitatum Tudertium adcipies, ſi aliquando illis lux publica adfulgeat.

Finis Voluminis II.

INDEX

INDEX

RERUM MEMORABILIUM

QUAE IN HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR

Numerus Romanus indicat paginas Dissertationum, Arabicus vero explanationes Tabularum.

A

B

C


Genio-

Magni-

FINIS.


ERRATA	*CORRIGE*
Pag. 35. STUDENTES	LUDENTES.







In Museo Vaticano



In Bibl. Vaticana



NOLAE IN MVSEO D. FELICIS MARIAE MASTRILII



In Bibliotheca Vaticana



IN MVSEO EMIN. CARD. DEL GIVDICE

T.CVI.







In Museo Kirkeriano

T. CVII.





IN MUSEO GORIO



In Bibl. Vaticana







IN BIBL. VATICANA.

V·F·S.



APVD GORIVM







In Biblioth. Vaticana

T. CXII







IN MVSEO GORIO



T. CXIII.





In Museo Barberinio

T. CXIV.





IN MVSEO MEDICEO





T. CXV




Palmi 1. Vnc. 3









in Biblioth. Vaticana



In Museo Lorio



Vi· Franceschini Scu.

In Museo Lorio

T CXVIII







Apud M. Vincentium Riccardium



V.F.S.



IN BIBL. VATICANA.





IN BIBLIOTH. VATICANA

T. CXXII







V. Franceschini. Scu.

IN BIBLIOTHECA VATICANA.



In Biblioth Vaticana



T. CXXIV



Postica Pars



IN BIBL. VATICANA





In Bibliotheca Vaticana

T. CXXVII.







IN MVSEO KIRKERIANO



Apud Gorium



IN MVS. VATICANO.

V F S







IN MVS. VATICANO.

V·F·S

T·CXXXI·

In Museo Barberinio

T. CXXXII.







In Museo Vaticano



In Museo Vaticano



In Museo Grimanio



APUD D. HAMMOND

T. CXXXVI





IN MVSEO VATICANO

T. CXXXVII



Apud D. Guill. Hammond Anglum

T. CXXXVIII.





APVD GORIVM.


T. CXXXIX
Alt ped. I. unc. III.
In Museo Guarnaccio
Vi Franceschini sc.

T. CXL







In Museo Gorio

T. CXLI.







In Biblioteca Vaticana





IN MVSEO VATICANO

T. CXLII.



Pars postica ejusdem Vasis







In Museo Riccardio





In Museo Vaticano

T. CXXXXVI.





Alt. p. I. In Museo D. de Hamond



IN MVSEO VATICANO





IN MVSEO KIRKERIANO



IN MVSEO VATICANO



T. CL.





In Museo Mediceo







IN MVSEO VATICANO







In Museo Mediceo







Anconae apud Nob. de Benincasiis







APVD CL. FRANCHINIVM





1



IN MVSEO VATICANO

T. CLVI.





IN MVSEO BARBERINO

T.CLVII.



Apud March. Peralta

T. CLVIII.




Apud Com. de Thoms

V. F. s.



In Museo March. Peraltae



In Museo Panormitano


T. CLXI







In Museo D. Hadriani Sarri Patric. Sen.



In Museo Kirkeriano








T. CLXIII.









In Museo Baccio



T. CLXIV.





Veronae in Mus. Cl. March. Scipionis Maffeii







Hadriae ap. Cl. Advoc. Bocchi



IN MVS. MARCH. PERALTÆ



T. CLXVII.



Pars Postica eiusdem Vasi

TAB. CLXVIII.



Alt. unc. IV. lat. unc. IV. et s.





In Museo Lorio

T·CLXIX.







In Museo Mediceo







In Museo Barberinio

T. CLXXI.







IN MVSEO RICCARDIO







IN MVSEO MEDICEO







In Biblioth Vaticana






IN BIBL. VATICANA

T. CLXXV







Jos. Menabony del. et sculp.

IN MVS SVBVRB NOB VECCHIETTORVM



T CLXXVI










IN MVSEO RICCARDIO






T. CLXXVII







In Bibliotheca Vaticana

T. CLXXVIII.







IN MVSEO KIRKERIANO.







In Bibliot. Vaticana




In Biblioth. Vaticana

T·CLXXXI·







V·F·S·

In Biblioth. Vaticana


T.CLXXXII
In Museo Mediceo

T. CLXXXIII







IN MVSEO MEDICEO

T. CLXXXIV.



In Museo Mediceo.



IN MVSEO MEDICEO

T. CLXXXVI.







IN MVSEO COLL. ROMANI

T. CLXXXIII



IN MVSEO VATICANO

V. F. S.





Pars Postica eiusdem Vasis

V. F. s.



IN MVSEO MEDICEO



Neapoli in Museo PP. Oratorii



In Biblioth. Vaticana



IN BIBLIOTH VATICANA





Pars postica ejusdem Vasis

T.CXCIV.



Neapoli apud PP. Oratorii.




Pars postica eiusdem Vasis

T.CLXXXXVI.



V.F.S.

In Museo Vaticano



Pars antica eiusdem Vasis

VFS.



Pars Posterior eiusdem Vasis

T. CLXXXXIX







In Museo Cl. March. Vincentii Riccardi







T·CC.







In Museo Coll. Romani





